HONORATI
FABRI
SOCIETATIS JESU
AD
P. IGNATIUM GASTONEM PARDESIUM
EJUSDEM SOCIETATIS JESU
EPISTOLÆ TRES
DE SUA
HYPOTHESI PHILOSOPHICA.

MOGUNTIÆ,
Apud JOAN. PETRUM ZUBRODT.
Ex Typographeio Christophori Kûchleri.

ANNO M DC LXXIV.

Bibliopola Lectori.

CVm ex Gallia à quodam erudito in Germaniam ad quendam nostratem etiam eruditum tres Epistolæ, quas in manibus habes, erudite Lector, missæ fuissent: & hic eos typis mandari operæ pretium fore, duxisset, ut saltem inde homines scirent, quid reipsa sentiat illarum

Auctor, & quid alii teneant, quorum hoc sæculo fama celeberrima est: ac præsertim & potissimùm, ut prospectus operum dicti Authoris habeatur; illius votis ac desideriis illicò morem gessi: nempe mei typi Doctorum hominum votis, & publico commodo dudum servire didicerunt.

EPISTO-

EPISTOLA PRIMA.

IGNATIO GASTONI PARDESIO SOCIETATIS JESU

HONORATUS FABRI EJUSDEM SOCIETATIS

S. P. D.

EX Amicorum Literis, non semel, at semper ægrè inaudii, me pro Carteſiano paſſim traduci: diſplicuit hic rumor, nequid diſſimulem; utpotè qui talis audire nolim; tum quia Carteſius, quem alioquin ſingularis ingenii, geniique hominem fuiſſe, non diffiteor, multas ſententias tradidit, quæ à me falſiſſimæ reputantur, ac

proindè iis adhærendum esse, non puto; tum quia turpissimo plagii vitio mihi verteretur, illum auctorem sectari, quem tamen numquam, nisi refellendo, appellavi. Cum autem sat scirem, rumorem illum ab iis hominibus ortum duxisse, ac fuisse sparsum, qui neque Cartesium norunt, neque me, qui nec illius Hypotheses, nec meas nugas, uti vocare soleo, callent, & fortè nesciunt, quid elucubratum uterque in lucem ediderimus, indè mihi facilè persuasum fuit, fore, ut cum Literati homines meas nugas respexissent, & à Cartesii doctrina toto cœlo, ut ajunt, discrepare comperissent, inanis ille rumor penitus cessaret, essemque à Literaria illa calumnia satis superque vindicatus. Sed ab eximio quodam divini verbi Præcone, amicorum ami-

amicissimo, meique amantissimo, coram accepi, à me illud sperari non posse, ac proindè aliud quidpiam remedii accersendum: illud autem præ cæteris utrique in mentem venit & placuit, ut hanc ad te scriberem epistolam, in qua breviter ostenderem ac demonstrarem, quantum à Cartesio dissentiam; cujus si per te aliis copia fieret, indè tota calumnia plenè difflata maneret. Frustra quidem ad te scriberem de hoc argumento, qui optimè nosti manifestum, illudque multiplex utriusque doctrinæ discrimen, cùm meas lucubrationes, ut scribis, lustrare dedignatus non sis; sed ut ex eorum animis, qui mea nesciunt, dictus error avellatur, industriam, Charitatem, Justitiam tuam imploro; quod certè fa-

cta hujus Epistolæ aliis copiâ, nullo negotio consequeris.

I. Philosophiam universam, ut tutè scis, in lucem edidi, novem tomis distinctam, quinque scilicet Physicam, singulis, Logicam, Metaphysicam, tractatum de motu Locali, & Philosophiam per propositiones digestam, seu veriùs, totius Philosophiæ compendium. Decimus desideratur, qui eos de morali Philosophia seu morum Analysi, ut voco, quem dudùm effectum habeo, sed numquam edendum me superstite. Hujus autem brevem synopsim habes in d. compendio, quantum ad Monasticam & Oeconomicam, ut suppressa omninò Politica tum sacra, tum prophana: novam scientiam appellare non dubito, quæ cum in publicam lucem manca & imminuta prodire nolit, primas duas partes

partes seorsim absque politica edendas esse, non puto. Politica autem in hoc rerum & mundi statu prodire non potest. Edidi etiam, præter aliquot opuscula Geometrica, Optica, Astronomica, & quinque aut sex polemica, decem Dialogos physicos, duobus tomis, quibus innumera fere physica complexus sum & curiosiùs discussi; in his omnibus, quantum à Cartesio dissentiam, breviter ostendo.

II. Omitto Logicam, quam non utilem modò, & necessariam esse, Cartesius non putat, sed inanem prorsùs & noxiam reputat. Logicis quippè definitionibus, inquit, res potiùs obscurantur, quàm explicantur. In hac parte non parùm mihi sudandum fuit, ut ea, quæ apud Aristotelem in libris Priorum & Posteriorum ita confusa &

&a hujus Epistolæ aliis copiâ, nullo negotio consequeris.

I. Philosophiam universam, ut tutè scis, in lucem edidi, novem tomis distinctam, quinque scilicet Physicam, singulis, Logicam, Metaphysicam, tractatum de motu Locali, & Philosophiam per propositiones digestam, seu veriùs, totius Philosophiæ compendium. Decimus desideratur, qui eos de morali Philosophia seu morum Analysi, ut voco, quem dudùm effectum habeo, sed numquam edendum me superstite. Hujus autem brevem synopsim habes in d. compendio, quantum ad Monasticam & Oeconomicam, ut suppressa omninò Politica tum sacra, tum prophana: novam scientiam appellare non dubito, quæ cum in publicam lucem manea & imminuta prodire nolit, primas duas partes

partes ſeorſim absque politica edendas eſſe, non puto. Politica autem in hoc rerum & mundi ſtatu prodire non poteſt. Edidi etiam, præter aliquot opuſcula Geometrica, Optica, Aſtronomica, & quinque aut ſex polemica, decem Dialogos phyſicos, duobus tomis, quibus innumera fere phyſica complexus ſum & curioſiùs diſcuſſi; in his omnibus, quantum à Carteſio diſſentiam, breviter oſtendo.

II. Omitto Logicam, quam non utilem modò, & neceſſariam eſſe, Carteſius non putat, ſed inanem prorſùs & noxiam reputat. Logicis quippè definitionibns, inquit, res potiùs obſcurantur, quàm explicantur. In hac parte non parùm mihi ſudandum fuit, ut ea, quæ apud Ariſtotelem in libris Priorum & Poſteriorum ita confuſa &

perturbata jacebant, ut à paucis intelligerentur, præ maxima illa confusione, in multas Propositionum centurias distinguerem ac disponerem, quibus totius ratiocinii artificium ac certæ leges, in terminis abstractis, accuratè demonstrantur, & ferè innumera supplerem, quæ apud Stagyritam non extant, puta de artificio consequentiæ, enthymematis, syllogismi hypothetici, copulativi, disjunctivi &c. Scio, librum illum limâ indigere, manuque extrema, quod suo tempore, si quando recudatur, desiderari non patiar: nullus tamen dicet, me in Logica tradenda, immò & præfixa Logicæ methodo, quam etiam in Euphyandro meo paulò uberiùs exposui, Cartesianum extitisse.

III. Omitto etiam moralem Philosophiam, de qua nihil Cartesius,

tefius, præter unam & alteram regulam ab eo in methodo indicatam; quam verò multa in hac à me demonstrata fuerint, ex synopsi appellata perspicuum est; puta artificium consequentiæ moralis, cognitionis hominum, conjecturæ futurorum, electionis, vel determinationis, diversarum habitudinum, usus bonorum & malorum, virtutis exercendæ, vitii fugiendi, adde artificia varia, Oeconomica scilicet, & Politica, sacra & prophana, de quibus in citato compendio; in his sanè, quæ nunquam forte Cartesio in mentem venerunt, nemo dixerit, me Cartesianum censeri.

IV. Omitto denique Geometriam, in qua Cartesianam methodum numquam amplexus sum, sed aliam longè diversam, ut constat ex synopsi Geometrica, aliisq;

opuſculis geometricis, à me jam editis, & conſtabit luculentiùs, ex Archimede promoto, ſic enim appello integrum & abſolutum univerſæ Geometriæ corpus à me perfectum, ſuo tempore & loco edendum: Omitto etiam, Opticam, Dioptricam, & Catoptricam. Quamvis enim de his Carteſius multa ſcripſerit, ab eo tamen, ferè in omnibus diſſentio, & ſingularia quædam ab eo aſſerta, ſemel iterùmque ac tertiò impugnavi; puta illa, quæ habet de refractione & reflexione; item de Lumine, quod ſit motio, vel impulſio globulorum, aut cœleſtis materiæ; item quod ait, lumen per medium denſum faciliùs, quàm per rarum traiici & diffundi; totam item colorum rem, in qua certè ab eo longiùs diſto, quam color albus ab atro; item figuras illas ellipti-

ellipticas & hyperbolicas vitro inducendas, ut impossibiles rejeci, & longè faciliorem modum telescopiis fabricandis adhibui ac demonstravi. De coloribus prismatis vitrei nihil prorsùs habet; nec de bacillo per refractionem diuersimodè curvato; nihil etiam de speculis omnis generis, aliisque benè multis, de quibus abundè in mea synopsi optica; in Iride convenimus, sed jam ego tradideram, quando ille sua typis mandavit; his ergo prætermissis, in quibus nemo dixerit, me suffragari Cartesio.

V. Ad Metaphysicam venio, de qua ille pauca scripsit; nec enim meditationes illæ de Deo, & anima, quas metaphysicas vocat, ad Metaphysicam pertinent, sed ad Theologiam; aliam ego Metaphysicam agnosco; nimirum rationum universalium scientiam, cujus ille

numquam meminit; quod reverà ipsi cum aliis Democriticis commune est, qui Metaphysicam vel ignorant, vel negligunt: in hac parte, quantùm ab iis absim, XIV. Libris sat grandi volumine contentis luculenter ostendi; immò dicere soleo, nihil unquam in Physica probè sciri posse, nec ad ultima principia reduci, nisi Metaphysicæ demonstrativæ opera cautè adhibeatur: de hac autem Cartesius aliquot dumtaxat versus attigit, puta de substantia, duratione, distinctione, modis; sed obiter, & paucis, ut dixi, versibus: ego verò de his grandem tomum edidi, ex quo, quantum ab eo discrepem, manifestum fiet. Sed ne tam multa & ferè innumera, quæ in illo volumine, juxta methodum geometricam disposita continentur, ad novæ scientiæ cumulum, quod

jure

jure mihi arrogare possem, aut saltem ad novam, eamque apodicticam & geometricam formam inducendam huic tractationi, ne tam multa, inquam, frustrà prosequar, pauca duntaxat capita recensebo, quibus evincam, me ab illo prorsùs alium esse.

VI. Ille igitur primò docet, substantiam corpoream per extensionem essentialiter ita constitui, ut idem sit corpus & extensum esse; ego verò secus sentio, de corpore scilicet physico, quod à Geometrico, seu trinedimenso distinguere debuerat; nam & Deum infinitè extensum, & Angelum extensum, & accidentia Eucharistica extensa, & corpus in punctum redactum, seu corpus in puncto physico facilè concipio: corporis autem rationem in eo positam esse, dico, ut sit substantia ex natura sua

exigens extendi impenetrabiliter, cui tamen exigentiæ, Deus possit non facere satis. 2. Nullas qualitates admittit, nisi modales; ego alias non modales etiam admitto, puta, impetum, calorem, lumen; præter supernaturales habitus scilicet fidei, spei, charitatis, gratiæ sanctificantis, luminis gloriæ, & characteres in susceptione aliquot Sacramentorum impressos. 3. Docet, vacuum omninò repugnare, quia, inquit, concipi non potest, nisi ut extensum: Ego certè vacuum intra mundi ambitum esse, non puto; quod tamen repugnet nemo dixerit; immò extra mundi pomærium, nihil nisi vacuum est. 4. De Geometricis demonstrationibus, meritò dubitari posse, dicit, an sint veræ; quis amabò annuat, saltem Geometra? 5. Vult mentem notiorem esse

esse, quam corpus; quis unquam corpus esse negavit? mentem sanè multi, perperàm licèt; 6. Rerum creatarum notitiam à notitia Dei, qua scilicet Deum cognoscimus, pendere dicit, quod numquam ausim adstruere, cum monente Paulo, per visibilia ad notitiam invisibilium perveniamus. 7. Item perfectiones Dei omni alia re perfectiùs à nobis cognosci, cognitione scilicet naturali; cur ergo de illis Theologi tam acriter disputant, cum tamen de geometricis demonstrationibus numquam disputemus? 8. Quidquid perfectionis objectivæ repræsentatur, vel exprimitur ideâ nostrâ, seu cognitione, reipsa esse, & existere in objecto: multa tamen cogitatione fingimus, quæ reipsa non existunt. 9. Deum omnia velle & operari; certum tamen est, Deum multa

multa nolle. 10. Deum unicam & solam causam esse; ego causas secundas etiam agnosco: 11. De Infinito disputandum non esse; multa certè de illo disputavi. 12. Mundum esse indefinitum, id est, nullis finibus contineri; mundo tamē certos fines Deus posuit. 13. Causas finales, seu fines rerū examinandos non esse; ego finem rerum in Physicis maximè considero. 14. Errorem nihil aliud esse arbitror, quam assensum objecto falso datum, ad quem Deus ipse concurrit, quod tamen Cartesius negat. 15. Inter modos cogitandi, operationem voluntatis collocat: velle haud dubiè, non est cogitare. 16. Vult, omnia à Deo esse præordinata; ego nec prædefinitiones, nec prædeterminationes probo. 17. Laborandum non esse, ut cum libertate

divi-

divinam præordinationem conciliemus: Conciliamus tamen & meritò. 18. Homines semper malè judicare, cum obscurè perceptis assentiuntur: omnis ergo assensus probabilis proscribendus est. 19. Cognitionem distinctam aliam esse à clara; Discrimen non video. 20. Deum nobis indidisse claram ideam, seu notitiam sui: nascimur ut tabula rasa. Addere possem innumera ferè alia, puta omnia dubia pro falsis habenda esse; idem esse cogitare, sentire, velle, mentem solam sese cogitatione videre; Per se notum esse, quod res illa, quę novit aliquid perfectius, à se non sit. Errorem voluntatis non intellectûs esse; Affirmationem & negationem modos volendi esse; Rarò nos iis assentiri, quæ clarè non percipimus; sentire non esse quid merè corpo-

corporeum; Distinctionem realem inter substantias dumtaxat intercedere; ex his sanè, multisque aliis, nullus me Cartesianum esse dixerit.

VII. Fateor tamen, aliqua esse in hoc genere apud illum, quibus assentior ultrò, & quæ aliquot annis ante, quam ille sua typis mandaret, jam docueram. 1. Quod Dei conceptus, seu definitio existentiam necessariò importet, ac proindè Deum existere, per se notum sit, saltem quo ad me. 2. Ex eo, quod existam nunc, non sequi, me posteà exstiturum, nec illud in mea potestate positum esse; at sequi potiùs, me ab alio pendere. 3. Durationem rei creatæ esse ipsammet ejusdem conservationem: ac proindè durationem nihil esse aliud, quam actionum conservativarum seriem & fluxum.

4. Co-

4. Cognoſcere, ſeu cogitare non eſſe corporis, ſed mentis. 5. Nobis intimè perſpectum & notum, nos liberos eſſe, ac proindè, ut dicere ſoleo, mihi tam evidens eſſe, quod liberè agam, quam quod agam; immò vult, nihil à nobis evidentiùs comprehendi. 6. Multas qualitates modales eſſe. 7. Nullam rem, qualis ſit, ſenſu percipi, ſed mente. 8. à ſenſu objectum exterius, puta colorem, non repræſentari, vel attingi, ſed ſentiri dumtaxat affectionem organo impreſſam: hæc mihi ſunt, ne quid diſſimulem, cum Carteſio communia, quamquam ego ab eo minime accepi: non tamen dico, illum à me accepiſſe.

VIII. Ad Phyſicam deſcendo, quam in 10. tractatus & 5. tomos digeſſi; vix porro in tanta rerum copia & ſylva, cum Carteſio quid-
piam

piam mihi commune est, præt[er]
characteres & literulas. prol[i-]
xum illud proloquium Tomo pr[i-]
mo Physicæ præfixum lustrare s[at]
satis, ut vel inde manifestum fia[t]
quantum ab eo, immo quam in o-
mnibus dissentiam; Tractatu pri-
mo egi fusissime de corporeo quan-
to, presso & tenso, denso & raro
gravi & levi, opaco & diaphano
illud corporeum quantum; ex sui
minimis constans; illa extensio, ab
eo distincta, per quam penetrabili-
ter, vel impenetrabiliter extendi-
tur, eaque major, vel minor, id
est perfectior, vel imperfectior,
in infinitum; numquam illi, ut
puto, in mentem venit: pressi &
tensi, rari & densi rationem, jux-
ta modum & mentem Aristotelis,
tam religiose, & tanto cum rigo-
re ibidem explicui, ut multi ex iis
quos Peripateticos vocant, resilie-
rint;

rint, & per intrusionem, vel extrusionem corpusculorum explicuerint; cum tamen per majorem dumtaxat, aut minorem extensionem eidem materiæ, vel substantiæ accedentem, rem totam ego definiam; Cartesius longe aliter: nimirùm per liberiorem, vel minùs liberum campum, ad ciendum motum; gravitatem verò & levitatem explicat per impulsum subtilis materiæ: ego per veram & absolutam qualitatem physicam; nimirùm impetum innatum, ab ipso corpore gravi realiter distinctum, quo scilicet ad centrum sui globi semper inclinat, & si ab eo dissitum sit, ad illud fertur motu accelerato, aucto scilicet singulis instantibus impetu, ex quo impetus intenditur, & motus acceleratur. Diaphanum ipse per poros in omnem partem rectos, à cælesti mate-

materia, ut vocat, seu globulis, sibi factos & apertos; ego verò per partes in densitate & raritate homogeneas, secundùm lineam rectam dispositas. quantum in his à Cartesio dissentiam, planum est.

IX. Ad motum Localem venio, de quo plurima scripsi, tum singulari Codice, tum in Metaphysica, variisque appendicibus, tum demùm in Dialogis Physicis, in quibus nonnulla, quæ omissa fuerant addidi, & pauca obscuriùs proposita explanavi, immò & aliqua emendavi, quæ incauto exciderant, ut jam monuisse memini in responsione ad Borellum, quam simul una cum aliis apologematis editurus sum. Ante omnia igitur, impetum statui, causam scilicet motus, non efficientem sed formalem; cum enim motus nihil sit physicæ entitatis,

tatis, caufam efficientem feu productivam non habet; impetus autem naturam, caufas, effectus, productionem, confervationem, deftructionem, determinationem, intenfionem, remiffionem, propagationem, aliaque hujusmodi diligentiffimè difcuffi, & in eo, qualitatem abfolutam à mobili & motore diftinctam agnovi: multa deindè de motu naturaliter accelerato, violento, reflexo, mixto, recto, circulari, in planis inclinatis furfum atque deorfum, item de projectis, latis, tractis, pulfis &c. in quibus omnibus à Cartefio diffentio. nullum ipfe impetum agnofcit, veram fcilicet & abfolutam qualitatem; vult, totum motum ab initio à Deo productum fuiffe eundemque femper manere, traduci tantùm ab uno corpore in aliud, id eft, de fubjecto in fubje-

ctum, quod certè abhorret Philosophia Peripatetica: docet præterea, idem simul moveri & non moveri, actionem motus esse in movente, non in mobili, nihil moveri posse, nisi per circulum; Deum omnium motuum solam causam esse; nihil reale & positivum in corpore moto reperiri, quod quiescenti non insit; Legibus naturæ adversari, ut quiescat id, quod semel movetur; aut moveatur, quod semel quiescit; omnem motum ex natura sua rectum esse, motum motui minimè contrarium, sed quietem; mutabilitatem creaturarum Immutabilitatis Dei argumentum esse; rem quamlibet tendere ad permanendum in eodem statu. Cuncta hæc Doctrinæ motuum à me traditæ penitùs adversantur.

X. Ha-

X. Habet prætereà ſeptem regulas circa motum impreſſum mobili ab extrinſeco, quas ego falſiſſimas reputo, ac prædictæ Doctrinæ omninò repugnantes; prima eſt, ſi duo globi A. B. perfectè æquales, æquali velocitate in ſeſe invicem in directum impingantur, A. ſcilicet dextram verſùs, & B. verſùs ſiniſtram, reflectitur uterque in partem oppoſitam, retento eodem velocitatis gradu. hæc regula, ut dixi, falſa eſt, cum nulla ibi reflexio interveniat, ſed novi impetus producto, ut ſuo loco demonſtravi: ſecunda eſt, ſi A. ſit tantulo major, quàm B., hic reflectitur, ille verò verſùs dextram tendere pergit: Hæc etiam falſa eſt; A. quippe ſi tantulo major ſit, repelletur à B. verſùs ſiniſtram; fieri tamen poteſt, pro diverſa mole, ut A. vel repellatur

à B., vel sistat, vel ire pergat versùs dextram, tardiore licèt motu. tertia est, si sint æquales, & A. moveatur celeriùs, quàm B. æquali deindè motu uterque ad dextram ibit: hoc quoque falsum est; sed A. repelletur à B. versus sinistram, tardiore motu, & B. velociore ab A. versùs dextram. Quarta est, si B. omninò quiescat; & sit paulò major, quàm A. hic impactus in B. quocumque motu, illum non movebit loco. hoc falsissimum est, B. quippè movebitur ab A., & A. reflectetur, quamquam tardiore motu, non æquè veloci, ut vult Cartesius. Quinta est, si A. quiescat, & sit minor quàm B., & hic in illum impingatur, ambo deindè versùs sinistram æquè velociter moventur: hoc æquè falsum est; si enim B. sit tantulò major, A. quidem movebit sinistram versùs,

fis, celeriore motu, & versus eamdem ibit, longè tardiore. Sexta, si sint æquales, & B. quiescat, hic repelletur ad dextram, & ille reflectetur. nihil falsius: nam B. quidem pellitur, sed A. sistit, ut suo loco demonstravimus. Septima demùm est, si A. & B. in eandem partem dextram moveantur, & B. sit major, & tardiùs moveatur, ac proindè A. in illum incidat; si excessus celeritatis sit major excessu magnitudinis, A. ita pellit B. ut deindè uterque versùs dextram moveatur, æquali motu; hoc etiam falsum est, ut constat ex doctrina in Dialogis explicata. Cum autem potissimùm doctrinæ Cartesianæ fundamentum in motu positum sit; vel indè perspicuum est, quam parùm mea illi consentiat.

XI. Secundo Physicæ tractatu, egi de calido, frigido, humido, sicco, molli, duro, liquido, aliisque sensibilibus corporum statibus; item de Luce ac Lumine. Calorem Cartesius explicat per agitationem partium tertii elementi, factam à subtili materia liberiorem campum nacta; ego verò per veram, realem, physicam & absolutam qualitatem, cujus effectus est, rarefacere, resolvere, & partes homogeneas calidi congregare: ille frigus explicat per quietem earundem partium; ego contra per motum subtilis humidi, calidi partes dividentis. Humidum explicat, per motum partium tertii elementi, siccum per quietem; ego contra, cum Philosopho, humidum propriè illud esse dico, cujus minima physica certam & determinatam figuram non

non ita poſtulant, quin ab extrinſeco facilè mutari poſſit; contra verò ſiccum. reliquos ſtatus corporum eodem modo explico, nimirum per diverſam commixtionem & diverſum plexum partium calidi, frigidi, humidi, ſicci; in Luce ac lumine toto cœlo invicem diſcrepamus; ille quippè nihil aliud vult eſſe Lumen, niſi motionem, vel actionem cæleſtis materiæ, ſeu globulorum ſeu partium ſecundi elementi; ego verò abſolutam qualitatem reputo, quamvis alioquin à puro calore minimè diſtinctam.

XII. Tertius Tractatus eſt de coloribus & ſonis. utrumque argumentum multis propoſitionum centuriis proſequutus ſum, in quo à Carteſianis placitis longiſſimè abſum. nempè ille varios colores explicat per varios vertiginis mo-

tus globulorum secundi elementi, in retinam illapsorum; ego verò per variam modificationem radiorum luminis in oculum illapsi, petitam scilicet à diversa ratione continui & discreti, id est, à diversis commixtionibus luminis & umbellarum, ut loquitur Philosophus, & totam rem istam colorum perspicuis juxta atque solidis fundamentis inædificavi; sonorum verò, in reciprocis & alternationibus subtilioris aeris, vel ætheris motibus, vel appulsibus ita fundavi, ut acuti ratio à frequentioribus vel spissioribus; gravis autem à rarioribus & minùs frequentibus petatur; ratio verò hujus & illius soni, puta tubæ, fistulæ, Cytharæ, à tali modificatione talis motus, v. g. à crispatione quadam in Cythara; à diversis spiris, seu vertigine in fistula, & ab aliis hujusmo-

di

di; de his apud Cartesium altum silentium est; illi enim satis fuit dixisse generatim, in sono totum aera moveri, quo nihil falsius excogitari poterat.

XIII. In quarto Tractatu, de odoribus & saporibus primùm egi, & ni fallor, evici, odorem inesse halitui, cujus affrictu, olfactus organum afficitur; Saporem verò corpusculis quibusdam saporiferis, humore dilutis ac maceratis, & ab eodem, quasi vehiculo in organum Gustus ita invectis, ut eorū illapsu afficiatur: varias autem odorum saporumque species definivi, & multis illustravi experimentis. De his autem nihil, aut ferè nihil Cartesius, dixisse contentus generatim, cuncta hæc per motum fieri. Quisquis ea leget, quæ juxta methodum geometricam super his dedimus in lucem, fateri coge-

tur, me in his, à Cartesio maximè dissentire; uti & in iis, quae prosequutus sum eodem tractatu de intensione, remissione, diffusione, sphaera activitatis, refractione & reflexione qualitatum; Cartesius certè nullam qualitatem absolutam admittit; nullam igitur qualitatum refractionem, diffusionem & non tam dies nocti dissimilis est, quàm ego, in his omnibus, Cartesio.

XIV. Ad quintum Tractatum venio, in quo tria illa principia corporis naturalis, materiam scilicet, formam & privationem, cum Aristotele, religiosissimè, iisdem cum eo vocibus usus, adstruxi; haec rident Cartesiani, plenis & rotundis buccis; sat scio. Hoc tamen non facit, quin permaneam in hac sententia; materiam, inquam, adstruxi, puram scilicet poten-

tentiam, quæ nec eſt quid, nec quantum, nec quale; quisquis enim aliter ſenſit, & quampiam entitatem abſolutam agnoſcit pro materia, Ariſtotelicus non eſt, formam etiam, rationem ſcilicet illam qua corpus hoc, vel illud eſt, lignum v. g. lapis, metallum; forma quippè dat eſſe rei; id eſt, ſpecies illa, ratio, λόγος, qua v. g. lignum eſt, ita materiæ adhærens, ut neutra ſine altera eſſe queat. De forma materiali loquor; undè utraque ens reſpectivum importat, quod ſubſtantiale dicitur, non tamen, niſi valdè impropriè, ſubſtantia. quod autem reſpectus ſubſtantialis concipi poſſit, veri Philoſophi ſciunt: in his germanam Ariſtotelis mentem, ni fallor, enucleavi, eaque facilitate, qua major excogitari non poſſit, & oſtendi clariſſimè, quid in generatione
 fiat;

fiat; quid in corruptione; quomodò in his, materia partim desinat, partim non desinat; quomodo forma non generetur, seu producatur, sed resultet, ut alii respectus; uno verbo, hæc tractatio Cartesianis non displicet modò, sed eam passim, non sine multiplici sarcasmo, explodunt. ab iis ergo in hac valdè dissentio.

XV. Quatuor elementa ibidem cum Aristotele agnovi, nativis suis qualitatibus instructa, nimirùm ignem, aera, terram & aquam; ignem calidum, aquam frigidam, humidum aera, & terram siccam in summo; item proprias singulorum elementorum minimis figuras attribui; videlicet minimis physicis terræ sphæricam, quam semper ita retinent, ut tendi, comprimi, rarefieri, densari non possint, nec figuram illam ulla

vi naturæ mutare; & hoc est siccum esse in summo. Aeris minima ex se habent figuram cubicam, quam tamen facilè mutare possunt, & alienis terminis facilè contineri; item comprimi, tendi, densari, rarefieri, & hoc est esse humidum in summo. Aquæ minima ejusdem sunt figuræ & conditionis; nisi quod nec tendi, nec comprimi possunt, undè minus humida est, quam aer; quia tamen multam vim habet subtilis humoris, qui dividit partes ignis, indè in summo frigida reputatur. Ignis denique minima sunt Cylindrica, oblonga, flexibilia, & calida in summo; quomodo verò, & quibus modis, ignis accendatur, nimirùm per collectionem partium calidi; & extinguatur, per divisionem earundem, uti & singulorum elementorum proprietates, fusè &

ſatis facilè ibidem explicui: in his autem omnibus, à Carteſio penitùs diſſentio, qui tria illa ſua elementa conſtituit, primum ſcilicet ex ramentis & minutiis ſubtilis materiæ; ſecundum ex ſphæralis materiæ cæleſtis; tertiū ex ramenſtris partibus, in quas angularia & majora primi ramenta, plexu quodam, abeunt, ejuſdem omnia & ſingula materiæ, de qua ſciri vix poſſit, an ſit humida, vel ſicca: ignis apud illum nihil aliud eſt, niſi primi elementi, ſeu ſubtilis illius materiæ liberior, ac proindè vehementior motus; aqua ex partibus oblongis, & quaſi acubus conſtat; Aer ex ramoſis diſſitis, quæ & ſubtili materiæ & ſphærulis liberum campum relinquunt ad motum; Terra demum ex craſſioribus contextisque tertii elementi particulis, & in cruſtas quaſi compactis

pactis; quantum hæc à nostris discrepent, nemo non videt. Hæc autem obiter indicasse, satis esse puto; si enim singula prosequi vellem, in quibus, quantum ad hæc, invicem discrepamus, justum volumen discribendum esset.

XVI. Sextus Tractatus est de mixtione in genere, de multiplici Analysi physica; & de mixtis imperfectis, igneis, aereis, aqueis, & terrestribus; quæ omnia discussi diligenter, & explicui ex supradictis principiis, & elementis, & adhibita dumtaxat opera calidi, frigidi, humidi, sicci, gravis, levis, densi; rari, compressi, tensi: calidum nempè agit in humidum, illudque calefacit, rarefacit, resolvit, rariores enim partes, leviores scilicet, avolant; id est, à densioribus, seu gravioribus incubantibus & descendentibus, seu præ-

prævalentibus, juxta libræ principia, surſum extruduntur; unde fit, ut partes ignis, ſeu calidi, à partibus humidi antè diremptæ congregentur: hinc calor dicitur congregare homogenea; frigidum verò ſegregare, partes ſcilicet calidi; undè minor calor: hinc denſitas & gravitas major, hinc partes ignis collectæ majore vi caloris pollent, & cuncta reſolvunt; ſeparatæ verò & in filamina ductæ, cuncta ſuo plexu, quaſi uniunt: in his, aliisque ferè innumeris, quæ ad hanc tractationem ſpectant, maximè diſcrepo à Carteſio, qui nihil horum admittit, ſed figura, mole & motu contentus, cuncta generatim ita explicat, ut quaſi caſu quodam eveniant, abſque ullo principio figuræ, motûs, molis, ſiccitatis, humiditatis, gravitatis, preſſionis, tenſionis, raritatis &

& densitatis, potentiæ gravium & elasticæ. Unum maris æstum non omittam, quem cieri vult à pressione Lunæ, & illius materiæ, quæ terram inter & Lunam intercepta, non habet liberum motum, ex quo effectus contrarius sequeretur; ego ad inæqualem Cylindrorum aeris gravitationem totam rem illam reduxi, tum in hoc tract.tum in Dialogis. Ventos etiam & fulmina & tonitrui fragorem, nivem, pluviam, grandinem, scaturigines fontium, aliaque hujusmodi longè diverso ab eo modo explicui.

XVII. Septimo tractatu, ago de mixtis perfectis, lapidibus scilicet, metallis & succis, in quorum omnium proprietatibus explicandis, à Cartesio quam maximè procul absum, nam præter supradicta communia operata naturæ

instru-

instrumenta, calidi scilicet, frigidi, humidi, sicci, & multiplex singularis humidi & sicci genus, agnosco ulterius prima quædam rudimenta, vel rerum semina ab initio terræ indita; humidum enim facilè subit, & illius quasi vehiculo invehuntur aliæ particulæ siccæ ad multiplicem percolationem, fermentationem, filtrationem, ut vocant; motus autem humidi, est vel à gravitate, vel à potentia clastica, mediatè scilicet, vel immediatè; in his etiam à Cartesio maximè dissentio: hic enim supradicta omnia explicat per crustas illas, in quas abeunt crassiores tertii elementi partes. In uno magnete, quantum ab eo differam perspicuum est; nempè ad illius proprietates explicandas accersit nescio quas particulas striatas, in spiras & cochleas, quæ sibi meatus aperiunt

unt & formant. In magnete, ferro, & terrestri globo ego simplices acus primigenias, ex communibus elementis conflatas, ad hunc effectum, admitto, absque hujusmodi spiris, & striis, & poris cochleatis, & circuitione gratis excogitata & ficta.

XVIII. Octavo tractatu, ago de corpore cælesti: In hoc argumento Cartesius adeò singularis est, ut nullus, etiam per somnium, illius hypothesim mihi affingere valeat, eosque vertices, ut vocat, quorum aliqui cessarunt abieruntque in Planetas, uno dumtaxat in sole superstite, nimirum quo ad cœlum nobis vicinius; nam ipse in stellis, totidem soles & vortices agnoscit; terram autem inter Planetas recenset, ac proindè & circa solem annuo motu, & diurno, circa proprium centrum volui,

volui, donec tandem una cum aliis, ad solem se recipiat, in his frustrà hæreo, à quibus mea hypothesis maximè abhorret; terram quippe immobilem in centro mundi colloco, & in sole nullum vorticem, sed verum globum, eumque mobilem agnosco, uti & cæteros Planetas, quos unà cum sole & stellis, à communi medio, ab ortu in occasum deferri, diurno motu, à seipsis verò, ab occasu ad ortum, in suis orbitis, juxta hypothesim Ptolomæi, tantulùm restauratam, à qua Cartesius, tam procul abest, quam cœlum à terra, non uno loco, à me traditum est. sed frustra, ut dixi, in his hæreo; cum discrepantia utriusque hypotheseos plusquam notoria sit, ac proindè nullus Cartesianum in his me reputet.

XIX.

XIX. Nono & Decimo tractatu, egi de Plantis, generatione animalium & Homine: in tanta rerum sylva, nihil mihi prorsùs commune est cum Cartesio: nam primò loco, ad explicandas Plantarum & Animalium Proprietates, adhibeo eadem naturalia instrumentn qua appellavi supra, & quæ reiicit ipse: deindè quantum ad Plantas & quædam Animalia, accerso prima semina, seu rudimenta organizationis, à Deo terrestri globo initio indita, quæ ipse Cartesius haud dubiè non admittit, cum motu dumtaxat, figura & mole omnia metiatur: juxta ipsum, ex attritu corporum omnes figuræ resultent, in quo ab aliis Democriticis multùm differt, qui volnnt figuras Atomis initio inditas fuisse: egn verò concipere non possum, ex solo motu, figura & mole,

mole, casu quodam, plantam, vel animal formari, uti concipere non possum, ex diversa lapidum agitatione absque Artificis ductu, construi palatium: prætereà vim caloris & vacui metum adhibeo, supposito tali partium plexu, talique organizationis exordio ad alimenti præparationem, percolationem, dispositionem, coctionem, suctum, in foliis, floribus, fructibus aliisque plantarum partibus, de quibus tam multa, tam varia & peregrina ex principiis Peripateticis, in proprio & nativo sensu acceptis, demonstravimus, ut inde non modica, opinor, huic tractationi facta sit accessio: in quibus, quantum à Cartesio dissentiam, qui nihil ferè de his, nemo non videt: uti & in explicanda generatione animalium, quam ita explicui, ut nullus, opinor, Cartesia-

tesianus simile quidpiam sibi arroget.

XX. Quod spectat ad usum corporis humani, multa certè adstruit, in quibus illi suffragari non possum. Circulationem sanguinis ab Harveo accepit, ut fatetur ultro. sed 1. vult extremas Arterias extremis Aeris, per anastomoses, conjungi, quod falsum reputo; cùm sanguis ex arteriis in carnes effluat, & indè à venis exugatur. 2. Vult, sanguinis guttam in dextrum cordis ventriculum illapsam, statim præ calore, rarescere in halitum, & indè cor dilatari; nihil tale admitto, nec enim tam vehemens calor cordi inest, ut guttam, temporis momento, rarefaciat & convertat in halitum; immò calorem illum nativum cordis, quem calori fæni cumparat, vix admitto, & alium modum tradidi,

didi, quo calor in ſanguine producatur. Deindè cor ipſum vi ſua, adinſtar Principis cujusdam muſculi, ſeſe per diaſtolem explicat, & per ſyſtolem contrahit; pollet enim vi motrice, ut & aliæ corporis partes, ac præſertim fibroſæ ac membranoſæ. 3. Vult, Aera, eo fine in pulmones per reſpirationem adduci, ut ſanguinem halitum pulmonibus contentum, ſuo frigore, condenſet; quod falſum eſſe credo; cum reſpiratio ad eum dumtaxat finem à natura inſtituta ſit, ut cor & pulmones à fuligine liberentur. omitto alia ferè innumera in hoc genere, à me tradita, quæ ab ejus hypotheſi aliena ſunt, & quorum ipſe numquam meminit.

XXI. Ad ſenſus venio. 1. Vult, non ſentiri propriè objectum ſenſibile in organo, cui affectio ſenſibilis

lis imprimiur; puta in oculo, affectionem à colore impressam, sed tantùm in cerebro; sed hæc profectò tam in oculo sentitur, quàm in cerebro, idque diverso sensu. 2. Negat, dari species sensibiles; sed specierum nomine, nihil aliud Philosophus intelligit, nisi formas sine materia, ut vocat, id est, affectiones impressas. 3. Vult, objectum illud ab anima sentiri, seu percipi in cerebro; sed me Judice, nec sensus propriè percipit, id est cognoscit, nec ipsa sensatio, ut ita loquar, est actio animæ rationalis, sed potentiæ. 4. Varios Passionum motus, per varias cujusdam glandulæ, quam in cerebro collocat, vibrationes, explicat; Motus hujusmodi à passionibus excitatos longè aliter explicui, Lib. singulari, uti & reliqua omnia, quæ ad interiores Hominis affectiones,

proprietates, operationes, pertinent, de quibus nihil ferè ille, de quibus ego tam multa diligenter & operosè perſcrutatus ſum.

XXII. Sentio quidem cum illo, & omnibus Philoſophis benè ſentientibus, animam rationalem à ſolo Deo creatam, ſubſtantiam incorpoream eſſe, & Immortalem, & fieri non poſſe, ut ſubſtantia cogitans & intelligens ſit corporea & corruptibilis; ſed modum illum, quo corpori unita eſt, ut illius forma, illudque regit, quamvis ab illo in operando aliquo modo dependeat, & cur, & quomodò, & in quo; item modum illum humani ratiocinii, Libertatis uſum, determinationem, applicationem, uno verbo, interiorem illam Microcoſmi Oeconomiam, & alia ferè innumera, quæ toto tractatu decimo prolixè omninò diſcuſſi, & ex intimis

intimis quasi naturæ penetralibus, vel adytis, erui, ne ipse quidem attigit.

XXIII. Viderint igitur optimi illi, qui nec Cartesium, neque me norunt, nec sciunt, quid uterque teneamus; viderint, inquam, quo Jure, ut Cartesianum me traduxerint; quis amabò Judex adeò iniquus, de causa illa judicet, atque decernat, quam ipse nescit? sed, inquiunt, admittis corpuscula; quasi verò corpus omnes non admittant, & corpus ex corpusculis non constet, & in corpuscula non resolvatur; quasi verò perenne corporum effluvium negari possit: ita est, admitto corpuscula, cum omnibus aliis Philosophis; sed hæc frustra essent, atque inania, sine prædictis qualitatibus, calore frigore, humiditate, siccitate, gravitate, levitate, pressione, tensi-

one, impetu, vi motrice, aliisque sensilibus qualitatibus, quæ prædictis corpusculis insunt. nihil horum Democritici; qui omnia per figuram, molem & motum explicant, quorum tamen nullum principium statuunt, licèt ab iis jure quæri possit, undè hic & talis motus, hæc moles, hæc figura?

XXIV. Admitto etiam minima physica elementorum, eaque diversæ naturæ & figuræ in diversis elementis, cum tamen Cartesius nulla prorsùs admittat minima, sed partes indefinitas, id est, numero infinitas, à quibus semper abhorrui, uti & ab omni genere infiniti creati. item præter motum, admitto veram & propriam actionem sensûs, à cognitione distinctam; sentire quippè est agere circa affectionem organo sensus impressam; quæ actio est à potentia

senti-

ſentiente; ita tamen ut ſenſus cum motu ſemper conjunctus ſit; motus enim ſine ſenſu ab intrinſeco non eſſet; ideò quippè ibi eſt motus, quia eſt ſenſus; & ſenſus fruſtrà eſſet, ſine motu: ſed de his fusè ſuo loco, de quibus Carteſius, aut nihil, aut parum, illudque ab his longè diverſum.

XXV. Sed inquiunt adhuc illi, non admittis formas ſubſtantiales: admitto unicam formam ſubſtantialem, quæ reverà ſit ſubſtantia, entitas phyſica, abſoluta, nimirùm animam rationalem: alias etiam materiales admitto, non tamen ut ſubſtantias, vel entitates phyſicas, abſolutas, ſed eo prorſus modo, quo eas Philoſophus admittit, ſecundùm quem, forma dat eſſe rei: Implicat enim, corpus aliquod [puta lignum] eſſe, ſine ſuo eſſe: Igitur ſine ratione

constitutiva esse ligni, ex qua resultant omnes proprietates esse ligni; sed hæc ratio forma ligni est. quemadmodùm enim domus habet suam formam, quæ est quid accidentale, ex qua scilicet nulla resultat proprietas intrinseca, sed tantùm extrinseca, in ordine ad habitationem, prospectum, quæ forma resultat ex tali lapidum, lignorum, aliarumque partium positione; ita prorsùs corpus naturale [puta lignum] habet suam formam, non accidentalem, sed substantialem, ex qua resultant omnes proprietates intrinsecæ ligni: & sicut forma accidentalis merus est respectus resultans ex tali positione partium; ita & forma substantialis est merus respectus, ratio, species, actus, λόγος, resultans ex tali compositione elemenmentorum, aliorumque miscibilium: undè repugnat, ut seorsim

existat,

existat, conservetur,&c. [de materiali loquor] immo &, ut propriè producatur, aut creetur: hanc autem Philosophi mentem esse, ni fallor, evici, tom. 3. physic. tract. 5. lib. 1. Hoccine quæso est formas negare? An fortè Thomistæ negant, materiam primam, eò quod negent illi propriam existentiam? aut negent, necesse est, esse entitates physicas absolutas: omnis quippè entitas physica absoluta seorsim esse potest, saltem per miraculum.

XXVI. Hoc certè non est formas absolutè negare: nego, esse entia absoluta: non tamen nego esse entia respectiva: nego esse substantias propriè loquendo, non tamen nego, esse respectus substantiales. & verò si quid absolutum est forma auri; v. g. demus, à Deo tolli, seu destrui, intactis ta-

men omnibus proprietatibus, partium plexu, diſpoſitionibus &c. remanet adhuc eſſe phyſicum auri; igitur & ratio conſtitutiva illius eſſe; igitur abſolutum illud eſt quid inutile, quo etiam ſublato, manet totum eſſe auri. In hoc reverà ſentio cum Ariſtotele, immo & illius verbis uſus ſum, eaque in nativo & proprio ſenſu accepi, dum hoc argumentum diſcuterem. parùm igitur negotii mihi faceſſunt optimi illi, niſi oſtendant, me à Philoſopho diſſentire, quod nunquam reverà præſtabunt; immò non raro accidit, ut hujusmodi Homines, qui tot rumores cient, nunquam Ariſtotelem, ſaltem ut par eſt, legerint, niſi fortè apud recentiores quoſdam ſcholaſticos, qui ejus mentem vix aſſequuntur. Diſſentio quidem ab impiis Arabibus, qui Ariſtotelem temerè dehone-

honeſtarunt; ac denuncio palàm, me ab iis toto animo abhorrere; ſentio tamen cum Philoſopho ac potiſſimùm in hac controverſia, de principiis corporis naturalis, materia, forma & privatione: quoties ille dixit inPhyſica &Metaphyſica, materiam non eſſe quid, nec quale, ſed puram potentiam? ad Literam accipio, præſertim cum ſecus à me concipi non poſſit, ſuppoſito communi illo ſubſtrato, de quo ſuo loco; Quoties dixit, formam non produci, non eſſe ſubſtantiam, nec Cauſam efficientem, ſed rationem, ſpeciem, reſpectum; ad Literam accipio, immo aliter intelligere non poſſum.

XXVII. Sed, inquiunt, Ariſtotelem in alio ſenſu intelligimus; benè eſt; gaudeant ſuo ſenſu; cur meo æquè gaudere mihi non liceat? præſertim cum ſit nativus,

proprius, & ad literam, & longè faciliùs cuncta explicentur: igitur ut me sentire cum Aristotele, ita à Cartesianis, aliisque Democriticis [Democriticum enim illum esse, dico, qui mole, figura, & motu omnia explicat] dissentire profiteor; Itemque ab iis, qui non Aristotelem, quem vix legunt, sed impios Arabas sequuntur: admitto quatuor elementa Aristotelica, specie omnino, & nativitis proprietatibus distincta; duas qualitates absolutas, veras, & physicas entitates, nimirùm calorem primarium, qui partibus ignis inest, & secundarium à primario productum, qui etiam lumen est, & impetum, tum in gravibus, tum in compressis & tensis, tum in aliis omnibus quæ moventur: admitto etiam alias qualitates respectivas & modales; item tria illa principia gene-

generationis; item actionem ipsã, quæ variis muneribus defungitur; nam per illam causa dicitur agens, effectus productus, tali tempore, & loco, item extensus penetrabiliter, vel impenetrabiliter, item tali figura, mutabili, vel non mutabili; ac proindè actio plures modos supplet. nihil horum Cartesius.

XXVIII. Itaque ut tandem hic finem faciam, ex dictis hucusque perspicuum restat, me non modò Cartesianum non esse, sed fieri non posse, ut quis ab eo magis alienus sit. Addo unum, si per te mihi liceat, suavissimè Pardesi, vix efficaciùs Cartesianam Hypothesim expugnari posse, quàm ex mea, in qua & moles, & figuras, & motus corporum admitto, nec ab ullo, qui res istas intelligat, negari possunt: sed hæc ad sua prin-

cipia reduco, frustrà enim & perperàm illa principia dicuntur, quæ ab aliis principiis pendent.

XXIX. Cuncta hæc historicè, ut ajunt, nec enim hoc loco, vel Hypothesim Cartesianam impugno, vel meam adstruo, vel definio, utra sit melior; sed illud dumtaxat; unam ab alia toto cœlo differre, neque hæc factionis studio, à me dicta putes; si enim Cartesianam Hypothesim propiùs ad verum accedere, crederem, non dissimularem utique; sed in eam palàm descenderem; ita enim à natura comparatus sum, ut virtutem & veritatem etiam in hoste diligam.

XXX. Enixè igitur à te flagito, & etiam atque etiam te rogo, ut hujus Epistolæ, quam multis maximè poteris, copiam facias; illud enim mihi summoperè cordi

est,

est, ne quis me Cartesianum reputet; non quod Hominis ingenium non magnifaciam, & osculer animi candorem, & inter illos, quos Democriticos vocant; id est, qui mole, figura & motu cuncta metiuntur, Cartesio primas non deferam, nullus quippè inter eos, vel tam multa excogitavit, vel tanta dexteritate disposuit, vel majori arte composuit, vel solitis objectationibus meliùs occurrit; sed quia Hypothesim Aristotelicam, quæ juxta meum sensum, quem legitimum esse puto, explicata, & longè plura complecti, & ad veritatem propiùs accedere, mihi visa est, aliis omnibus præferendam esse duxi. Vale, scribebam Romæ pridie Kalendas Januarii

Ann. 1673.

EPISTOLA SECUNDA.

IGNATIO GASTONI PARDESIO SOCIETATIS JESU,

HONORATUS FABRI EJUSDEM SOCIETATIS JESU.

S. P. D.

ANtè octiduum, prolixam epistolam ad te scripsi, suavissime Pardesi, in qua, ni fallor, luculenter evici, Hypothesim meam Philosophicam universam à Cartesiana penitùs discrepare: sed ut pariter iis occurram, qui eodem studio ducti, me inter alios Democriticos, quorum hæc ætas fera-

feracissima est, annumerare non dubitant, ut ab hac Literaria calumnia me liberem, secundas hasce literas ad te scribendas esse duxi; in quibus ostensurus sum, me illorum placitis nullatenùs stare: meamque doctrinam tam longè ab iis abesse, quàm à Cartesianis, ante abesse demonstravi.

I. Ne autem in incertum ferar, præcipuum illorum delectum habebo, qui sua in publicam lucem dederunt, & quasi suarum sectarum capita, seu Coriphæi, magnum sibi nomen fecere. Petro Gassendo mecum omnes primas facilè tribuent, cujus omnigenam eruditionem ac literaturam, incredibilem rerum copiam, singularem styli nitorem, aliaque id genus grandioribus illis voluminibus comprehensa, mirari juxta atque laudare non cesso; addere possem,

possem, ad cumulum, Hominem illum, dum in vivis esset, dulcissimo amicitiæ vinculo mihi conjunctum fuisse; cujus sane rei plenissimam faciunt fidem illius literæ ad me scriptæ, quas ipsamet humanitas scripsisse, aut saltem dictasse videtur: Gassendus igitur, qui tam multa & varia pro Epicuro scripsit, Democriticorum hujus temporis facilè Princeps, tria illa communia Epicuri admittit, figuram scilicet, molem & motum, cum inani, quæ tamen ut jam in primis literis scripsi, meis placitis adversantur; quis enim ea pro principiis agnoscat, de quibus, ex quo, & unde sint, jure ac meritò quæri potest.

II. Non agnoscit homogeneam illam materiam Cartesii, quæ variis motibus & gyris abit in tria illa elementa, in primis literis à me descri-

descripta, sed innumeras accersit Atomos, cujusvis figuræ, sphæricas scilicet, cylindricas, conicas, & conoidicas; item cubicas, prismaticas, parallelepipedas & polyhedras; item hamatas, striatas, uncinatas; item spirulas, Armillas, Arcus, acus, aliasque hujusmodi, quarum fortuito concursu, occursu, conflictu, corpora omnis generis formantur & componuntur; & sensibiles omnes corporum status resultant qui à scholis qualitatibus sensibilibus tribui solent: quantum autem ab his absim, ex primis literis planè constat; immò ex totis decem tractatibus meæ Physicæ: nec est, quod aliquis opponat à me agnosci minima physica figurata, quæ scilicet primam illam figuram ab Auctore naturæ acceperunt; nam agnosco quidem ultro minima physica elemen-

mentorum, nimirùm, ſphærica terræ, cylindrica flexibilia ignis, aquæ demùm & aeris cubica; ſed cauſam & rationem adduco hujusmodi figurarum; agnoſco minima phyſica finita, ut ab illa incomprehenſibili infinitate me liberem; prædictas autem figuras naturæ auctor induxit, ut ſingulorum exigentiæ & fini conſuleret; rerum enim exigentia petitur ab earum fine phyſico intrinſeco: uti fusè, tota paſſim Philoſophia oſtendimus: Cum enim Terræ minima ſummè ſicca eſſe debeant, ac proindè ſemper eandem ſervare figuram & molem, preſſionis cujuslibet, tenſionis, rarefactionis & & condenſationis omninò impatientem: quamvis aliundè plexus atque texturæ patientem: talem igitur, quæ ſtamini & filaminibus liberum trajectum relinquet: cum demùm

demùm una ſit figura hujusmodi eaque perſectiſſima, nimirùm ſphærica, hanc certè minimis terræ inductam fuiſſe oportuit, univerſa id exigente natura: eodem prorſùs modo de figura, minimis aeris indita, ratiocinari debemus, dato quod ſint ſummè humida, & omne ſpatium occupare debeant: ad quem revera effectum, cubica eſſe, oportet: uti & ignis cylindrica flexibilia, ut neri & duci queant in filamina & plexum, aquæ minima ferè imitantur: undè tres tantùm figuras in noſtris minimis agnoſcimus, easque neceſſarias, certiſſimis principiis & fundamentis nixas: cum tamen Epicurei agnoſcant ferè innumeras in ſuis Atomis, nulla ratione freti, ſed ſola fingendi & quidlibet adſtruendi libidine ducti.

III. Gassendus igitur ita Epicureorum hypothesim amplexus est, ut nihil ferè illi de suo adjecerit, præter rerum dispositionem, & uberem amænitatem styli [nemo quippè negat, Hominem illum multa Literatura, & scribendi, dicendique copia pollere] item varia experimenta, tum à se, tum ab aliis observata, quæ ad prædicta Epicuri principia, ægrè licèt, reducere conatur, quorum aliquot exempla, ut dictis faciam fidem, infra exponam: admittit autem in omnibus corporibus, seu duris, seu liquidis, sparsa vacuola: poros enim, quibus corpora dura pervia sunt, non subtili quadam materia plenos, sed omni corpore vacuos reputat; præter inane illud Epicureum, in quo discurrunt huc illuc Atomi: & in hoc conveniunt omnes Epicurei, aliique recentiores, qui

vacuum illud probare nituntur ex præclaro illo experimento Toricellano, Mercurii ſcilicet in erecta fiſtula, ad duos palmos & ferè dodrantem ſuſpenſi, vel elevati ſupra Libellam; cui revera occaſionem præbuit Galilæi obſervatio, circa elevationem aquæ in ſiphone, ad altitudinem ferè 32. palmorum cum beſſe; ſed fruſtra, meo Judicio, cum in Metaph. & in Dialogis evicerim, ſupremam illam fiſtulæ partem omni corpore vacuam non eſſe: immo ſine vacuo illi capere non poſſunt, quonam pacto corpora moveri queant; ſed nos facilè id capimus & explicamus, ſtatuta ſcilicet ætheris, vel ſubtilis aeris natura, qui & facilè comprimi, aut tendi, & omnem figuram ab extrinſeco induere valeat; illud autem omitto, quod Liburnenſis ille tam audacter adſtruxit,

ſtruxit, à quo Gaſſendus non longè abeſt, inane & prorſùs vacuum eſſe totum illud ſpatium, quod à ſuprema ſuperficie atmosphæræ, ſurſum ad ſtellas excurrit, quo nihil abſurdius excogitari poteſt: ſed nulla abſurditas ſine Patrono vel amatore: ex his porro liquidò conſtat, quantum à Gaſſendo aliisque Epicureis, tum antiquis, tum recentioribus abſim.

IV. Præterea totus ſum in commendando, laudando & prædicando Ariſtotele, omnium Philoſophorum facilè Principe, meamque Hypotheſim Philoſophicam univerſam illius principiis, quaſi fundamentis inædificavi; non quidem juxta mentem Arabum, & Scholaſticorum aliquot, ſed juxta nativum & proprium literæ, textus & verborum ſenſum: contendo igitur, ac denuncio palàm, meam Hypo-

Hyuothesim vere Aristotelicam, & me ferè in omnibus Peripateticum esse; de quo certè nemo ambigat, qui rem istam intellexerit, ac seriò ponderarit; nihil enim alios moror, qui nec me, nec Aristotelem norunt: dixi ferè in omnibus; quædam enim excipio, quæ tum ad religionem, tum ad corpora Cælestia, tum ad nova quædam experimenta, seu phænomena pertinent; nempè ut dicere soleo, quivis jure ab Aristotele discedat, si quando, vel religio, vel demonstratio, vel novum ac certum experimentum eum deserere cogat: in hoc autem me liberum esse, profiteor; & veritatem ubique diligo; sive illam in Aristotele, sive in Epicuro explorem; & nullo, quantum ad hoc, factionis studio ducor; cum autem nihil melius huc usque mihi occurrerit,

iis,

iis, quæ apud Ariſtotelem inveni, à quo ſcilicet ea principia, juxta ſenſum ſupra memoratum accepi, quibus non unum, vel alterum, quod longè facilius eſſet, ſed univerſam Philoſophiæ molem, quanta quanta eſt, multis ſanè voluminibus contentam, nixam & fultam eſſe volui; nemini mirum accidat, me Ariſtoteli, non verò Epicuro, ſeu Democrito ſuffragari: ſed inquiet aliquis habes multa, quæ apud Ariſtotelem nullus inveniat; ita eſt, fateor ultro: immò quamplurima, ea tamen cum principiis Ariſtotelicis mirabiliter conſentiunt, & ex eis facilè demonſtrantur.

V. Gaſſendus verò, non modò Ariſtoteli non ſuffragatur, ſed illum, ejusque doctrinam tanto animi fervore ac ſtudio, & tanta ſtyli acerbitate aggreditur, ut nihil umquam

umquam acerbiùs, vel atrocius in ſtylo excogitari poſſe videatur; toto enim libro primo exercitationum peripateticarum adverſùs Ariſtotelicos, quæ tomo tertio continentur, octonis exercitationibus oſtendere conatur, Philoſophiam Ariſtotelicam ſpuriam eſſe, ſophiſticam, pejorem hiſtrionica, rixoſam dumtaxat, & altercationibus horridam, Chimæricam, barbaram, tyrannicam, ignavam, nulla auctoritate; item incertam, obſcuram, multis defectibus inſufficientem, ſuperfluis & alienis ſcatentem, falſitatibus, impietatibus, calumniis & contradictionibus plenam: Ubi hæc in genere, contra doctrinam peripateticam ſcripſiſſet; toto ſecundo libro, ſex exercitationibus, Ariſtotelis Logicam analyticam impugnat; eamque totam vult, eſſe rerum inuti-

lium farraginem, quæ nihil nisi frivola, commenta, & deliria contineat; ineptè rerum classes in decem Categorias distinguat; futiliter, superfluè & ridiculè multa de propositionibus & utraque analysi tradat: addit, nullam dari posse demonstrationem, vel definitionem Aristotelicam, nullamque scientiam; concluditque, Pyrrhoneos, qui nihil sciri posse profitentur, naturæ non esse injurios: reliquos quinque libros, nimirum in acroasim Physicam, in libros de corpore simplici, in vulgares tractatus de mixtis, in Metaphysicam & moralem Philosophiam omisit, de amicorum consilio, eo quod propter prioris libri editionem, Peripatetici non parùm stomacharentur, quorum fortè patientia timuit abuti.

VI. Hinc

VI. Hinc verò ſatis ſuperque conſtat, quantum ego à Gaſſendo abſim, utpotè qui doctrinam illam profitear, quam Gaſſendus ex profeſſo, ut ajunt, & data opera tam acriter impugnavit; quamquam me Judice, parum ſecundo eventu: quis enim diſciplinam tot demonſtrationibus firmatam, nimirùm analyticam, impugnare auſit, niſi ſuas theſes ſcholarum ludibrio exponat? nihil quippè moror ſemiſciolos quosdam, qui cum ſint levioris armaturæ homines, Stagiritam ejusque organum ut futile & inutile quidpiam vellicare non ceſſant: ſed *ne ſutor ultra crepidam*; quamquam fortè acerbius illud meliùs quadraret, *ſus minervam*; ex hac reverà Provincia Gaſſendus multam laudem non retulit; non tamen deſunt, qui velint, nec ego ipſe valdè abnuerim,

Juvenilis ætatis ardori & genio, & averso animo, quo semper in Stagiritam fuit, hoc indulgendum esse; omitto aliam causam gymnasticam, nostris Gallo-provincialibus satis compertam; qua factum sit Aquis sextiis, sicuti Bajonæ, & etiam alibi, ut alienus à novis magistris animus, in eam doctrinam, quam ipsi tradebant, refunderetur: putabat forte Gassendus Analyticam Aristotelis, rarum scilicet inventum, in quo seipsum Philosophus, uti cæteros, in aliis, superasse visus est, putabat, inquam, aliquid esse haud absimile regulis & criteriis Epicuri, in quibus, absit verbo invidia, meras nugas & inania verba aliqui tantùm reperiunt; sed toto cœlo erravit: nihil umquam solidius, nihil felicius, nihil præstantius excogitatum, & ab Hominis ingenio partum est;

nihil ibi falſum, aut futile; nulla ibi contradictio, vel ineptia, ut Gaſſendus perperàm exprobrat: in his demùm quam ſecus ab eo ſentiam, qui ut mitiſſimè loquar, rem iſtam non ſatis ponderavit, ex iis manifeſtum fit, quæ in publicam edidi lucem: cum autem merum ſe Gaſſendus Pyrrhonium eſſe fateatur, non ægrè feret, me ab eo aſſertis penitùs refragari; citra tamen confutationem, quam hoc loco ſuſcipiendam eſſe, non duxi.

VII. De motu Locali varia ſcripſit Gaſſendus, ſed non ſua: defenditque doctrinam de hoc argumento à Galileo traditam, in qua provincia multos habuit ſocios adjutores; nihil eſt, quod reprobem in hoc conſilio; quid de meo contulerim in hac materia, tibi ſatis ſuperque à me fuit expoſitum in priore epiſtola; immò quid mi-

hi præstandum restet, non dissimulavi. Illam autem Galilei doctrinam, magnifacere semper visus sum, quamquam ad sua principia & causas omninò reducendam, quod data opera Galileus omisit; tentarunt alii, sed fortè frustrà; sunt qui velint, motum illum esse à torrente materiæ præcipitis, versùs centrum terræ; alii dicunt à terra trahi corpus grave, idque sola magnetis, vel succini analogia sufficienter à se probari; alii à continuis ac repetitis ictibus spirituum qui corpori gravi insunt; alii ab Aere circa terram acto, corpora detrudi volunt; Gassendus denique disertè ac seriò docet, partim à terra trahi corpus grave, partim ab aere à tergo pelli; ea scilicet lege, ut primo instanti sola terra trahat; secundo verò, & terra trahat, & aer à tergo pellat; unde fit
ut

ut motus, seu velocitas motus primo instanti, sit ut unum; secundo, ut tria: nam remanenti gradui primi instantis, accedunt duo, unus scilicet à tractione, alter à pulsione; tertio verò instanti ut quinque; cum tribus prioribus duo pariter accedant; atque ita deinceps, juxta seriem numerorum imparium. hæc mera puta est Gassendi doctrina [quamquam deindè mutavit, & pulsionem aeris abjecit] quæ Galileanæ penitùs adversatur, in qua velocitas crescit ut tempus; patet ex famoso Galilei Triangulo; spatia verò temporibus æqualibus acquisita crescunt juxta seriem numerorum imparium: id est spatia sunt ut temporum quadrata; si ergo velocitates crescerent, ut numeri impares 1. 3. 5. spatia crescerent ut numeri 1. 9. 25. cum tamen crescant, jux-

ra Galileum ut numeri 1. 4. 9. repugnat igitur Gaſſendus Galileo: immo & doctrinæ communi, illud, quod habet, de terra trahente, ſeu terræ capillitio: illa quippè magnetis & ſuccini analogia non fecit hactenùs, ut vel unus ex iis, qui ſua typis mandarunt, in peregrinam illam ſententiam deſcenderit: præterquam quod Gaſſendus nihil prorſùs de hoc argumento demonſtravit. ſed quis ab eo, qui ſe Pyrrhonium eſſe fatetur, demonſtrationes exigeret?

VIII. Nemo ſanè non videt, ideo Epicureos de motu nihil unquam demonſtraſſe; quia naturam motus ſatis penetraſſe non videntur: quis enim naturam motus intelligat & reducat ad ſua principia, niſi priùs probè ac planè norit naturam temporis atque loci; nimirùm quid ſit tempus & locus:

non

non ille vasis, ut vocant, qui corpus ambiens dicit, sed intrinsecus, quo scilicet res est hic, non illic: nullus quippè concipiat motum, seu lationem; id est, mutationem loci, ad exigentiam alicujus principii intrinseci, nimirùm impetus, sine quo motus intelligi nequit, nedum explicari, nisi naturam temporis, loci, immo & extensionis probè cognoverit: sed cuncta hæc ad Metaphysicam pertinent: nimirùm principia motus: Metaphysicam autem ne delibant quidem Epicurei primoribus labris, nec salutant de limine, sed plenis irrident buccis: illorum nominibus parco: quia nemo laudi hoc iis vertat: irrident, quæ ignorant ipsi: unde si quando eos de hoc argumento ratiocinari contingat, ita profectò ineptiunt, ut risum potiùs quàm stomachum mo-

veant: sed neminem impugno hoc loco, nec inquiro, quàm malè sentiant Epicurei, sed quid sentiant, & quàm alius sim ab iis: non pondero merita causæ, sed discrimina: non quid juris, sed quid facti: addo pauca de motu à Gassendo asserta, quæ doctrinæ motuum à me traditæ penitùs adversantur: puta quod non detur impetus distinctus à motu: sed nihil prioris motus remanet in mobili, cui tamen vis motrix inest: quasi verò motus non fluat. & novæ partes prioribus non succedant: quomodo igitur id, quod fecit motus, permanere dicitur? Deindè vult, non imprimi totam vim motus à percutiente, in ipso instanti, seu puncto percussionis, sed projectum tyrocinio quodam assuescere, & quasi addiscere motum exercere: sed mera verba. item motum

tum acceleratum omnem æquabilem: item motum potentiæ elasticæ aeris compressi nihil aliud esse, quam continuationem prioris motus, quo aer compressus fuerat: hæc aliaque hujusmodi à Gassendo asserta de motu Locali corporum, ita iis repugnant, quæ de hoc argumento, multis locis tradidi, ut nihil usquam magis repugnare videatur: undè sanè perspicuum restat, me in his, Gassendi partes sequutum non fuisse: præsertim cum ante Gassendum, omnia mea ferè de hoc argumento ediderim.

IX. In reliqua Physica, Gassendus Epicurum religiosissimè sequitur; lumen, juxta illum, nihil est aliud, nisi quoddam pernicissimum effluvium subtilioris flammæ: color diversa repercussi luminis modificatio, qua fit, ut talis ictus

oculo infligatur, undè hic, vel illε color; ſonus, corpuſculorum emiſſio à corpore ſonoro; calor igneæ materiæ, quaſi quidam fervor, vel ebullitio, & rapidus motus; frigus, compreſſio quædam & effluvii obex; odor & ſapor talium corpuſculorum appulſus in organum talis generis: humidum & molle fit ſola intermixtione inanis, ſeu vacui, in quod partes preſſæ ſeſe recipiant, tactuique cedant; durum verò & ſiccum abſque ulla ferè inanis intermixtione fiat; præterea nullam rarefactionem fieri, putat, niſi per inanis, ſeu vacui inductionem, ſemotis ſcilicet à ſeſe invicem Atomis, ſeu moleculis; contra verò condenſationem, per excluſionem vacui; illas porro Atomos, non mera puncta, nec individuas, vel inſectiles per ſe, ſed cum mole, figura

ra & pondere conjunctas; duras item & solidas, ita ut nulla vi naturæ. in eas partes homogeneas, ex quibus constant, dividi possint; quarum aliæ asperæ, aliæ Læves sint; omnes tamen plagæ securæ, id est, patiendi incapaces, & inanis expertes; aliquid simile in terræ minimis admitto; unde corporibus soliditas, durities, & summum pondus conciliatur; non tamen propterea Epicurum sequor; cum aliorum elementorum minima passionis patientia constituam; ac proindè calefieri, rarefieri, tendi, comprimi, & quamlibet figuram induere, vel accipere valeant ab extrinseco ambiente; accedit, quod inane hujusmodi, seu vacuola non agnosco.

X. Nihil est, quod dicam de cælestibus sphæris, illarumq; motu, quas Epicurei ex fortuito ato-

morum concurſu & occurſu', formatas ac tornatas eſſe, contendunt; ſolem autem quieſcere, & ſtellas; terram verò cum planetis circumagi, Copernicum & Galileum ſequutus Gaſſendus, multis locis non obſcurè docet, eò ſaltem inclinare videtur; quantum ab hac hypotheſi alienus ſim, diverſis etiam locis, nimirùm in tract. de corpore cæleſti, & in Dialogis, non diſſimulavi. Omitto peregrinas Epicureorum ſententias de anima Bruti, quam volunt eſſe corpus contextum ex ſubtilioribus & ſimplicioribus Atomis, cum figura omninò ſimili figuræ corporis animantis; quod ipſa per poros ſubit: omitto etiam tenues illas corporum exuvias, ex iis erumpentes, ſeu profluentes incredibili celeritate, ac retinentes eorumdem corporum effigies, vel imagi-

imagines, quæ cum per poros oculo illabantur, quid mirùm, si objectum illud, ex quo effluxerunt, oculo repræsentent, vel exhibeant; illud porrò tenuissimum corpus, quod Brutorum animæ tribuit, levem flammulam passim appellat; sed hæc adeò subtilia esse mihi videntur, ut obtusi ingenii, quod in me sentio, aciem omninò effugiant.

XI. Reliqua prosequor raptim: si enim omnia fusè, vix integrum & insanæ molis volumen satis esset: Æstum maris à terræ motu cum Galileo explicat; quatenùs hic cum Lunæ motu conjunctus est; pro quo accersit fibras illas Kepleri, tum solis, quibus planetas omnes, inæqualiter licèt, propriæ revolutionis motu, secum agit; tum etiam ipsius telluris, quibus Lunam secum etiam rapit; his ergo com-

commentis, numquam potui suffragari, & ille modus, quo marinum æstum explicui, toto cœlo à Gassendico differt; uti nec iis, quibus explicat ventos, seu motricem ventorum vim, quam corpusculis salis & nitri gratis omninò tribuit. Rationem longè faciliorem & commodiorem exposuimus. In magnete multùm etiam ab eo dissentio: vult enim, per contactum magnetis nova corpuscula ferro non accedere, sed illud dumtaxat, nimirùm illorum qui ferro jam insunt situm immutari; item aliquid animæ sentientis magneti & ferro magnete imbuto inesse, quo fiat ut hæc corpuscula repellat, illa verò admittat; Terram item magnetem esse, cujus scilicet virtute, hunc quem habet, situm retineat; catenulis demùm & vinculis, vim illam tractivam expli-

explicandam esse: de hoc argumento egi fusissimè 4. Physicæ Tomo, & meris acubus primigeniis contentus, citra hujusmodi subtiliora commenta, rem totam facili negotio, saltem ut mihi videtur, explicui.

XII. De Anima sentiente multa habet, quæ admitti à me non possunt, puta, quod sit corpus, ut dixi, ex tenuissimis & subtilissimis corpusculis contextum, & flos quidam substantiæ, nimirùm corporeæ: quod istud corpus reverà cognoscat, enunciet, affirmando, vel negando, & ratiocinetur, quantùm ab his dissentiam, manifestum est, ex ultimo tomo Physicæ: quod semen actu vivat, & masculinum cum fæmineo miscendum sit: his omninò refragatus sum toto lib. 5. tract. 9. in quo satis clarè ostendi, semen non vivere actu,

actu, sed potentia, nec misceri semina, sed unum inseri alteri, plantam scilicet plantæ. Circulationi sanguinis refragatur, multis certè argumentis, sed inanibus, quam tamen tot demonstrationibus, ut ita loquar, ocularibus firmavi. Omitto alia, ne infinitus sim: in eo tamen ab eo præsertim dissentio, quod animã rationalẽ ex substantia corporea & incorporea compositã esse, contendit, ita ut incorporea corpoream informet: & quod libertas, seu liberum arbitrium sit intellectus, non voluntatis: uno verbo, totam rem istam corporis animati, plantarum scilicet & animalium, ita discussi duobus tractatibus & 12. libris, ita explicui & statui, ut nihil prorsùs mihi cum Gassendo & aliis Epicureis commune reliquerim.

XIII. Cum

XIII. Cum autem nulla ſit Epicureis Metaphyſica, id eſt, nulla rationum univerſalium ſcientia, in hac cum iis parùm, vel potiùs nihil convenio, utpotè qui ſcientiam illam admittam & impensè colam, cui me addictiſſimum eſſe, Alphonſus Borellus, quaſi exprobrans ſcriptis mandavit; quamquàm profectò, quod mihi vitio vertit, ſummæ laudi ducam, utpotè cui omninò perſuaſum ſit, absque ſedula Metaphyſicæ opera, nihil probè, aut plenè, ſaltem in Phyſicis, ſciri poſſe; Quantum verò ſpectat ad ſcientiam objecti incorporei, ab Epicureis toto cœlo abſum; ipſi enim nihil concipere, ſeu mente capere poſſunt, quod corporeum non ſit; hoc ſaltem dictitare, ſeu cantare non ceſſant; ſed cum bona venia, nullam iis, etiam juratis, fidem habendam eſſe putarim;

tarim: immò quædam ſunt, quæ ut corporea concipi nequeunt, ut Deus, Angelus, anima rationalis; de his enim præſertim diſputant, ajuntque, nonniſi per fidem concipi poſſe: quamquam id plusquam temerè, cum impii illi, qui hæc negant, æquè concipiant atque hi, qui hæc eadem credunt: ſi enim quæram ex iis, quid animo concipiant, cum ipſummet cognoſcere, vel ratiocinari, vel liberè agere ſibi repræſentant: reponent illicò, non corpus utique, ſed aliquid corporis à ſe concipi; in hoc, quantum ab iis abſim, vix dici à me poteſt: cum reverà agnoſcere, ratiocinari, liberè velle non ſit corporis.

XIV. Omitto veritatem, vel proportionem geometricam, quæ reverà eſt affectio quædam corporis, ſeu quantitatis: in quo, à qui-

quibusdam aliis diſcrepo, qui volunt ab intellectu tantùm, non verò à ſenſu polygonum mille laterum concipi poſſe, & quædam eſſe objecta, quæ ab intellectu ſolo, feriante interim ſenſu attinguntur: fateor, ipſum cognoſcere ſolius intellectus eſſe, non ſenſus: in hoc tamen unionis ſtatu, anima nihil prorſùs cognoſcendo attingit, niſi hoc ipſum ſenſus internus, non cognoſcendo quidem propriè, ſed tantùm ſentiendo attingat: quamquam non in ſpecie, ut vocant propria, ſed aliena: quæ tamen ſenſatio ſatis ſuperque intellectum determinat, ad illud cognoſcendum, quod ſenſus ſentit, & deindè ratiocinio quaſi evoluendum: ſic cognoſco rationem entis, ſubſtantiæ penetrabilis, vel impenetrabilis, viventis, intelligentis, ipſum ſentire & intelligere in ſeipſum

ipſo attingo: dum enim cognoſco aliquid, cognoſco me cognoſcere, & quid ſit cognoſcere: cognoſco etiam, me vivere, me ſcire, me velle, me ſentire: in his omnibus tam procul abſum à Gaſſendo & aliis Epicureis, quàm ipſi ab Ariſtotele abſunt.

XV. Itaque media quadam inita via inter duas extremitates cum Philoſopho incedo, quarum altera omnia ſenſui, nihil intellectui tribuit: alia verò omnia ferè intellectui, & nihil ſenſui: per me, nihil eſt in intellectu, quod priùs in ſenſu non fuerit: & intelligentem oportet ſpeculari phantaſmata: & nullus ſenſus propriè cognoſcit, & nullum animal Brutum ratiocinatur, & cognoſcere corporis non eſt: & numquam intellectus agit, niſi ſenſus internus ſimul agat, & anima ſe determinat

nat ad cognoſcendum diſtinctè id, quod confusè cognoſcit, qua vi nullus ſenſus pollet: in his aliisque hujusmodi, quæ fusè diſcuſſi in Tract. de Homine, nullus me Democriticum, Epicureum, Gaſſendiſtam eſſe, dixerit: quamquam in his etiam nonnulla ſunt, quæ non à doctrina quidem Peripatetica, ſed ab Arabica, quam aliqui ex Scholaſticis amplexi ſunt, tantulùm fortè abeſſe non diffiteor.

XVI. Sat ſcio, à nonnullis, ac præ cæteris Thoma Hobeſio, illa omnia Phantaſiæ, vel interno ſenſui paſſim tribui, quæ à nobis intellectui tribuuntur, ac per varias Phantasmatum motuumque compoſitiones, diviſiones, aliasque hujusmodi mutationes, diverſa conceptuum, enunciationum, definitionum & ratiocinii genera,

eaque

eaque omnia, quæ in tribus illis, quas vulgò admittunt, animæ operationibus agnoſcimus, explicari: ſed ab his alienus ſum; nempè ſcio, me cognoſcere, & ſcire, & ratiocinari: ſed cognoſcere, ut dixi, nec eſt ſenſus, nec motus: agnoſco quidem prædictam phantasmatum compoſitionem, diviſionem, motum, & ſatis facilè explicui, ſingulari libro, quonam pacto hæc fiant: qnod non ita fortè alii: illud quippè argumentum, tractus terrarum incognitus eſſe videbatur: ſed præterea, cognoſco, me cognoſcere ac ratiocinari, quod reverà ſenſus non eſt, ſed alterius Principii, nimirum intellectus: pauci reverà hæc duo diſtinguunt: operationem ſcilicet ſenſus interni, ſeu phantaſiæ, ab operatione intellectus: fateor ultro, cum ſine longa analyſi, id fieri non

poſſit,

possit; unum tamen ab alio probè distinguimus, quidquid dicat Hobesius, qui certè vir fuit summo ingenio, nemo, nisi peregrinus in orbe Literario, inficias eat; vix tamen quidquam addidit de suo rei Physicæ sed Epicureorum vestigiis insistens, varios modos explicuit, quibus corpora diversos induunt sensibiles status, & varias corporum qualitates, motus, actiones & habitudines, sensuum item atque intellectus operationes explanavit, reduxitque ad Principia Epicuri, hoc uno fundamento fretus, nihil nisi corpus, & corporis modum à nobis concipi posse; uno motu, posita figura & mole, omnia fieri ac perfici; inane duntaxat esse incorporeum; ipsammet cognitionem merum esse motum, animamque corpoream; verbo dicam, neminem, post Epicurum,

tam crudè ac liberè locutum esse, aut scripsisse ; ab authore isto quantum absim, dicere nihil attinet, cum res per se ipsa loquatur.

XVII. Ut autem ad Metaphysicam redeam, multa quidem Gassendus scripsit de loco, tempore, motu, principiis, &c. quæ à mea Hypothesi longissimè absunt; nullum ubi, seu locum intrinsecum agnoscit, sed merum spatium inane, quod tamen uti aliquid positivum, æternum, & infinitum considerare videtur ; nullum etiam tempus, nisi imaginarium ; nec vult quidquam esse, per quod sim hic & nunc, potiùs quàm illic & post ; Dei æternitatem totam simul esse, disertè negat ; in ipso motu quidquid dissimulet, nihil positivum agnoscit ; cum impetum qualitatem verè productam esse, inficie-

tur ;

tur; præterea & materiam primam, nimirum puram illam potentiam, & formam substantialem quæ non sit corpus, aliaque hujusmodi reiicit; cuncta hæc quantum doctrinæ à me traditæ adversentur, manifestum est ex primis literis. Refractionem per reflexionem explicat, ego verò contra, reflexionem, per refractionem; & si forte aliquid cum eo mihi commune sit, nemo tamen dixerit, me ab eo accepisse, cum primos tomos, & philosophiam per propositiones digestam, ediderim 10. aut 12. annis, antequam illius opera in lucem prodirent, postremos verò effectos habuerim, ut plerique sciunt, jam ab Anno 1650. eorumque multis copiam fecerim; absit tamen, ut dicam, illum à me accepisse.

XVIII. Sed ut tandem his, de Gassendo, finem imponam dico

iterum, celeberrimum ſcriptorem extitiſſe, & fortè ſui temporis eruditiſſimum, in humana ſcilicet Philoſophia; vix enim alium invenias, cui anteponendus non ſit; eſtque profectò, quod omnes in eo incredibilem rerum ſylvam cum amæniſſimo ſtyli cultu conjunctam demirentur; quamquam eſt, quod in eo deſideraſſem, ne ſcilicet tam alienum averſumque ab Ariſtotele animum præ ſe tuliſſet; ne tam impensè faviſſet Epicuro, Lucretio, aliisque hujusmodi, ſi non impiis, ſaltem ſuſpectis; quod certè rationabilem multis præbuit occaſionem, de illo expoſtulandi; & ut ſincerè dicam, non modicum indè rem Catholicam detrimentum accepiſſe, multi crediderunt; non quidem quod de illo malè ſenſerint; ſed quod multi ex ejus ſcriptis occaſionem arripuerint, malè

ſenti-

ſentiendi, & plurima in dubium revocandi, quæ in religione Catholica ſarta & tecta eſſe oportet: utut ſit, negari non poteſt, quin ipſe ſaltem in iis, quæ ad religionem pertinent, probè ac piè ſe geſſerit, contra Epicurum, quæ contra illum ſtrenuè adſtruxit atque defendit; puta animam rationalem, eamque immortalem, Deum, Divinamque providentiam, mundum à Deo conditum in tempore eumque unicum & ſuis finibus terminatum, Atomos à Deo creatas, iisque figuram & molem inditam, & motum impreſſum; rès non gigni fortuito Atomorum occurſu, vel concurſu, ſed iis mediis, quæ in ſuos fines naturæ auctor deſtinavit; aliaque hujusmodi, ob quæ profectò eſt, quod eum ſummoperè commendem: ſed jam re-

 ſtat,

ſtat, ut de aliis aliquid ſaltem obiter dicam.

XIX. Negari non poteſt, quin major Britannia, hoc præſertim ſæculo, ingenioſorum Hominum feraciſſima fuerit, eorumque præſertim, qui rem phyſicam, non fortè univerſam, ſed aliqua ex parte, maximoperè promoverunt; jam ſupra laudavi Romam, Hobeſium; de Digbæo nihil dicam, qui cum Anglorum lingua ſcripſerit, legi à me, aut certè intelligi non potuit; Gilbertus & Verulamius antiquiores ſunt; quorum ille de magnete mirabiliter ſcripſit, cujus tamen veſtigiis minimè inſtiti, cum de magnete, tom.4. tract.7. lib.1. hujus verò tum hiſtoriam ventorum, tum cæptum apparatum ad rem phyſicam, tum etiam ſpecimina moralia & politica numquam

mina

non maximi feci: ab iis tamen hypothesim meam philosophicam non sum mutuatus: duos alios non appellare non possum, nimirum Guilielmum Harveum, & Robertum Boyleum, quorum ille varia edidit, sed præsertim exercitationes de generatione animalium, cui præmiserat tractatum de sanguinis circuitione: Hanc de circuitione sanguinis sententiã docuerã aliquot annis, antequam liber Harvei meas in manus incideret, eamque tum ex variis experimentis, tum etiam ratione à priori demonstraram; utut sit, libenter illam ego amplexus sum, rejectis tamen iis venarum & arteriarum oculis, quæ ipse Harveus adstruxit, rejecto item illo principio Diastoles, quod à tumore venarum & sanguinis appulsu petendum duxit; item commento illo, de principe causa gene-

nerationis animalium, quam ipse plusquam gratis collocat in quadam irradiatione spirituali; illud autem rejeci, quod docet, nihil prorsùs geniturae à Gallo in Gallinae uterum immitti; ego certè longè faciliùs, saltem aliter, totam rem istam, quae ad generationem animalium pertinet, explicui tract. 9. lib. 5. & licet multa super hac re viderim apud illum experimenta, hypothesim tamen omninò diversam constitui; quamquam Hominem summa laude dignissimum reputo, eumque, cui res Physica, in hoc praesertim argumento, plurimùm debeat.

XX. Quod spectat ad Robertum Boyleum, multis etiam elogiis dignum esse, duco, & maximas gratias illi habendas, pro innumeris experimentis, quibus abundè sanè, ac feliciter rem physi-

cam

cam cumulavit; ab eo tamen in multis diſcrepo; nonnulla tantùm indico; vult inprimis, aera noſtratem eſſe maximè compreſſum; ego aliquantulam compreſſionem aeris admitto, exhalituum admixtione provenientem, non tamen maximam illam, cui peregrinos effectus tribuit; omnia experimenta in hunc finem ab eo adducta, diſcuſſi & explicui pro more, in Dialogis, eaque ad aliam cauſam reduxi; in caloris natura explicanda, plurimùm etiam ab eo diverſus ſum; ego enim meram, eamque abſolutam qualitatem in calore agnoſco, non ita ille; in Hydroſtaticis nullo modo admiſerim gravitationem illam ſingularem cujuslibet ſuperficiei liquoris in proximè ſubjectam, nec experimenta ab eo ſuggeſta id evincunt; volo enim corpus liquidum per cy-

lindrulos, seu lineas gravitare, quoties justum non est æquilibrium; nimirùm omnes cylindruli particulas, adversum id, quod amoveri potest; & verò gravitatis hujusmodi superficierum in proximè subditas vix explicari, nedum intelligi potest; unde egregia illa experimenta, quæ Boylius exploravit admitto quidem, sed ad alia principia reduco, ut videre est in Dialogis: illud omittere non possum, quod scilicet maximæ aeris compressioni tribuit, contenti scilicet lagenula, cujus superficies exterior ab aere maximè dilatato ambitur, illa enim frangitur, vi compressi aeris, inquit; sed fallitur, cum ad hunc effectum sola vis aeris gravitantis sit satis, seu vis dilatationis quasi foras attrahentis dictam superficiem, si aeri exteriori aditus non pateat: Haud secus
alio

alio experimento Gassendus probat, aquæ inesse poros & vacuola, ubi enim tanta salis copia immissa aquæ liquata est, nihil ultra salis in ea liquescit, aut dissolvitur; quia, inquit, omnes aquæ pori pleni sunt atque obstructi. Sed profectò res aliter accidit; cum enim ideò sal liquescat, quia humor per poros illius subiens, illum dissolvit, & particulas separat, inde fit ut cum ob salem admixtum, humor sit crassior, per poros ultra subire non possit; igitur nec salem dissolvere, aut liquare.

XXI. Omitto Hypothesim Guilielmi Leibenitii, quam ab uno dumtaxat vel altero anno ab ipsomet auctore accepi, qui per rapidissimum aeris, vel ætheris motum circa superficiem terræ omnes alios motus explicare conatur; puta gravium casum, potentiam elasticam

ſticam &c. ſed abs re, meo judicio; quamvis enim motus ille circularis corpora, quæ in eo feruntur, verſùs centrum agat, id tamen fit ſenſim ſine ſenſu, & æquè rara, ac denſa; immò illa longè faciliùs: ea demùm in eam partem in quam fertur ſecum unà celerrimè rapit: undè hæc hypotheſis in meam minimè quadrat: accedit, quod meæ nugæ longè ante in publicam lucem prodierunt, quam d. auctor in meam cognitionem venerit; de illo porro id ſatis erit, dixiſſe, ab Ariſtotele omnino alienum videri, & propenſum in Democritum: quamquam Carteſium imitatus, Hypotheſim pro arbitrio ſibi gratis finxerit. Omitto etiam Chymicos, quorum principia à meis alia ſunt: analyſim phyſicam magnoperè probo, & mihi ac illis commune quid eſt; ſed ad diverſa prin-
cipia

cipia illam refero: quare nemo jure dixerit, me à partibus Chymicorum ſtare: & verò puderet, vel Lulliſtam, vel Arnaldiſtam, vel Paracelſitam eſſe, aut dici.

XXII. Unus Galileus reſtat, quem reverà prætermittendum eſſe non duco: cum illi haud dubiè rem literariam valde obſtrictam eſſe, ultro fateri debeant, quotquot ab eo ſcripta & in lucem edita, vel minimùm luſtrarunt: is Lynceorum Academiæ facilè Princeps fuit, quæ ſub auſpiciis ſereniſſimi & Eminentiſſimi Principis Leopoldi magni Ducis Etruriæ, qui modò feliciter regnat, Patrui, illos Homines tulit, quos huic noſtræ ætati vel ipſa invideret antiquitas: tres tantum appello, ne fortè videar Elenchum ſtruere: nimirum Evangeliſtam Torricellum: alterum

hujus temporis Archimedem, Vincentium Vivianum, redivivum scilicet Apollonium: Famianum Michelinum, scriptorem amænissimum, qui novis & luculentis demonstrationibus, summam & impatientem jugi rapidissimorum fluminum vim continuisse, & quasi cicurasse videtur: omitto alios, ac præ cæteris ingeniosissimum Laurentium Magalotum, mei, mihique amicissimum, cui certè multa debeo, illudque præsertim, quod suis optimis officiis & humanissimis suffragiis, paulò fortè liberalioribus, à serenissimo Principe jam dudum obtinuerit, ut in Lynceorum Academiam, quo revera honore me prorsùs indignum reputo, ab eo cooptatus fuerim. sed ut ad magnum Galileum revertar, novæ scientiæ de motu locali primus auctor fuit:

fuit: quis enim ante illum? accesserunt deindè quidam alii, ac præ cæteris Torricellus, dignissimus tanto prædecessore successor: hanc igitur doctrinam de motu naturaliter accelerato, tum in perpendiculo, tũ in planis inclinatis itẽq; violento, tum per inclinatũ ex præmissis aliquot hypothesibus mirabiliter demonstravit: ego sanè illam miratus sum, admisique in usu Physico triangulum illud Galileanum, cujus area spacium, latus, tempus, basis, velocitatem repræsentant: quatenus tamen res ista reducenda est ad ultima principia Metaphysica, non rectam hypotenusam Trianguli, sed denticulatam rectæ loco ponendam esse, demonstravi, & reliqua omnia ad motum omnis generis & impetum pertinentia

nentia, ad mea principia nimirùm vere peripatetica reduxi.

XXIII. Hæc autem quam diversa sint Galileanis manifestum est, & ex eo patet, quod Galileus ab Aristotele non parùm alienus sit: pauca quædam sub indico: vult ipse, corpora componi ex punctis & tempus ex instantibus Mathematicis, ac proindè indivisibilibus actu & potentia: ego ex minimis physicis divisibilibus potentia: item dum corpus liquescit, vult, illud resolvi in sua puncta mathematica: ego verò ne quidem in minima physica, sed in partes ejusdem mixti: item vult, glaciem leviorem esse aqua, ac proindè rariorem: undè corpus frigore rarescere concludit: nihil horum admitto: item solem stare terramque moveri planetas inter: ab his

his alienus ſum; item motum terræ marini æſtus cauſam eſſe: ſed hoc non uno loco refutavi: omitto alia multa, tum in phyſicis, tum in mechanicis, in quibus ab eo diſſentio; undè ni fallor, nemo dixerit, me inter Galileiſtas recenſendum eſſe; hoc tamen non facit, quin Hominem illum maximi faciam, qui tam multa contulit de ſuo, ad rem Literariam, tum in terris, ob egregia experimenta ab ipſo feliciter inventa, pro maxima, qua pollebat, ingenii ſagacitate, tum in cœlo unde ſtellas Mediceas & Galaxiam, ſolis maculas, & faculas, Lunæ valles & montes, Venerem falcatam, aliaque hujusmodi, teleſcopii opera, ſub mortalium adſpectum adduxit, ſed hic Elogium non contexo; hoc unum dixiſſe, ſit ſatis, illum

lum serenissimis Principibus jure placuisse, quorum laudabili studio factum est, ut Florentiam, Athenas Etruriæ, meritò ac jure omnes appellent.

XXIV. Hæc sunt, Doctissime Pardesi, quæ ad te scribenda esse, duxi, ut palàm constet, me nec Cartesianum, nec Gassendistam, nec Democriticum esse, nec ulli eorum adhæsisse, qui juxtà Epicuri principia, novas Hypotheses excogitarunt, quos appellavi supra, & quorum hypotheses hìc tantum subindico, non refuto, nec de iis sententiam fero; hujus quæso Epistolæ iis omnibus copiam facies, quibus eam de me opinionem inesse videris, quod sim Atomista, sic enim vocant: quod quantum à veritate absit, tibi

tibi satis compertum est, & ex his secundis literis, juxta atque ex primis, manifestum esse constat. Vale. Scribebam Romæ sexto Idus Januarii ann. 1673.

EPISTOLA TERTIA.

IGNATIO GASTONI PARDESIO SOCIETATIS JESU, HONORATUS FABRI EJUSDEM SOCIETATIS JESU.

S. P D.

VNum restat mihi faciendum, ac respondendum circa ea (humanissime Pardesi) quorum per te certior factus sum: scripseras enim, me à multis pro Cartesiano, aut Democritico, seu Atomista, ut vocant, traduci, & nonnulla in mea Hypothesi Philosophica, vel adstrui, vel contineri, quę per Societatis leges, aut Decreta, à nostris

noſtris doceri vetantur: in duabus prioribus literis, quas ad te ſcripſi, primum, ni fallor, evici, nimirùm me, nec Carteſianum, nec Gaſſendiſtam, nec demùm Atomiſtam, aut Democriticum eſſe; alterum in hiſce ultimis præſtare conabor, oſtendamque, mea Placita iis Propoſitionibus omninò adverſari, quas R. P. N. Franciſcus Piccolomineus, in ſua Ordinatione pro ſtudiis ſuperioribus, juxta deputationem, quæ de illis habita eſt, in Congregatione nona Generali, ad Provincias miſſa, Anno 1651. ex ſcholis noſtris proſcripſit: quamvis enim nulla Cenſura illas affecerit: eas tamen in noſtris gymnaſiis doceri, prohibuit; quod ut penitùs evincam, ſingulas juxta numerorum ſeriem, in qua extant, recenſendas eſſe, duxi, & cum meis placitis conferendas.

I. Phi-

I. Philosophicas tantùm discutio, de quibus Lis huc usque fuit; illæ autem sunt numero 65. quarum prima hæc est; *Sive in syllogismis detur medium, majus & minus extremum ex natura rei, sive non, ex mente Aristotelis, illa constituuntur per situs locales, quos habebant, dum Aristoteles in tabella, aut Charta pingebat terminos.* contrarium docui in Analytica, controvers. 18. tum vers. *Alii dicunt, conclusionem*, tum vers. *secunda ratio.* Ibi enim dico, majus extremum vel esse prædicatum conclusionis directæ, quam ibidem definio: vel illud, quod, in prima figura, prædicatur de medio: id est, in quo, medium continetur, ut docet Aristoteles lib. 1. prior cap. 4. in 2. de quo negatur medium exceptis OAO. AOO. in quibus medium affirmatur de majori extremo; in tertia, quod nega-

negatur de medio, pro negativis, pro A A I. Utrumvis, pro Datisi, & Disamis, prædicatum universalis præmissæ. Secunda est hæc, *genus potest immediatè individuari à parte rei*: id est, genus esse potest tantùm in individuo, non in specie: quod certè meis Placitis repugnat: nam nec Genus in unica specie esse potest, per prop. 27. & 31. lib. 2. Metaph. nec etiam sine specie per def. 6. ejusdem; illa igitur propositio vel nugatoria est, vel falsa: hinc ut ibidem dixi, materiæ Primæ genus non datur: quia diversæ species materiæ primæ esse non possunt. Tertia sic habet, *Relatio similitudinis, paternitatis &c. non est formaliter in rebus, aut in suo fundamento, sed est aliquid rationis, aut mera intellectus comparatio*: his opposita passim doceo lib. 6. Metaph. puta prop. 4. *nulla relatio realis pendet ab intellectu*:

ctu: tum prop. 8. coroll. 2. *dantur entia merè respectiva*: tum pro 11. *relatio realis est, nec est per intellectum.* Quarta ita jacet: *non datur propriè falsitas in materia impossibili, ac propterea non sunt in ea propositiones immediatè contradictoriæ, Deus est, Deus non est*: nihil sanè ineptiùs; nam prima propositio est necessariò & essentialiter vera: & altera necessariò & essentialiter falsa: nempè in materia necessaria, propositio vera est necessariò vera, & in materia impossibili, propositio falsa, est necessariò falsa: modo scilicet utraque sit affirmativa: ut disertè tradidi in controversiis Logicis, controvers. 4.

II. Jam ad alias extrà logicam, descendo: Quinta talis est; *non datur materia prima.* ego verò centum locis, dari materiam primam docui, eamque Aristotelicam; nimi-

nimirùm puram potentiam, quæ nec est quid, nec quantum, nec quale; consulatur tom. 3. Physicæ tract. 5. lib. 1. à prop. 19. ad prop. 52. prop. 19. d. libri talis est: *Datur materia prima*: quod satis fusè ibidem demonstravi. Sexta Propositio hæc est, *Materia non est causa, sed mera conditio*; explicui satis facilè prop. 35. & 36. d. libri, quonam pacto materia prima sit causa formæ & compositi; idem etiam habeo in Metaph. lib. 7. prop. 13. quare cum admittam, esse causam formæ & compositi, oppositam propositioni veritæ defendo. Accedit, quod in propositione, non appellatur disertè materia prima; sed materia, eaque secunda: sic metallum est causa statuæ, quia statua ex metallo fit, juxta Aristotelem lib. 2. Physic. cap. 3. ubi docet, causam materialem illam esse, ex qua, cum insit,

 aliquid

aliquid fit. Septima Propositio sic habet: *Similiter forma & finis non sunt veræ causæ rerum naturalium.* Oppositum tradidi lib. 7. Metaph. idque passim ac præsertim prop. 1. in qua, satis accuratè discussi atque distinxi ad mentem Aristotelis, 4. causarum genera; item prop. 7. in qua de fine & causa finali; item 9. in qua de causa exemplari ad quam Philosophus formam reducit: Item 11. in qua de causa formali, pro effectu formali primario; & 12. in qua de causa formali pro effectu secundario. Octava sic exprimitur; *Materia prima potest naturaliter esse sine omni forma:* oppositum tradidi d. tract. 5. lib. 1. prop. 27. *fieri non potest ut materia existat sine aliqua forma:* est enim pura potentia, per prop. 20. ac proindè non habet propriam existentiam, per prop. 21. unde necesse est, ut

ut ſine forma, non naturaliter modo, verùm etiam divinitus exiſtere non poſſit. Nona ſic habet, *Materia ad productionem formarum activè concurrit*: ſed non modò concurſum activum materiæ non tribuo, ſed quemlibet influxum proprium in formam eidem recuſo prop. 33. quia proprius influxus ſupponit actum; ſed actus materiæ eſt forma, id eſt, materia eſt actu, vel exiſtit per formam. Hæc eſt Decima, *Vnio materiæ & formæ eſt verè natura*; Quis hoc dicat? cum unio ſit mera relatio per prop, 130. ejusdem libri; nec addat ullam ſimplicem entitatem, ſupra formam actu & materiam, per prop. 136. Accedit, quod ſola ſubſtantia eſt natura, per prop. 159. ſed unio ſubſtantia non eſt: per prop. 150. Undecima talis eſt: *Materia prima creatur ab Agente naturali*, contrarium ſentio: cum mate-

ria prima propriè creata non sit per prop. 79. lib. 7. Metaph. sed tantùm per miraculum: & causa secunda in aliquo subjecto agere debeat per prop. 35. Eodem, recidit duodecima, quæ talis est: *Potest dari Creatura, quæ natura sua habeat virtutem principalem creandi*: quæ adversatur d. prop. 79. Uti & decima tertia, quæ sic extat, *Creatio non est productio rei ex nihilo, sed productio rei quæ fit à solo Deo, sine consortio alterius causæ efficientis*, Opponitur prop. 78. 79. & maximè 53. Immò & communi sensui: quis enim unquam aliud animo finxit de actione creativa? Hoc certe est peccare in ipsis terminis.

III. Decima quarta his verbis exprimitur; *potest Creatura aliqua elevari ad seipsam prima vice producendam*: Huic contrariam tradidi lib. 7. Metaph. prop. 33. sub his terminis, *idem non potest esse causa sui*: Immò

mò ibidem doceo, idem non posse esse causam sui, etiam reproducendo. Decima quinta hæc est: *Idem potest esse causa suæ causæ in prima sui productione, in genere causæ efficientis:* cui hæc opponitur, quæ est prop. 38. *duæ causæ efficientes non possunt simul esse sibi invicem causæ:* quid qnæso expressius? Decima sexta talis est, *Effectus, recepta realitate, seu essētia à sua causa, potest virtute ipsius essentiæ productæ in priori à causa producere sibi existentiā.* oppositū docui lib. 3. Metaph. prop. 19. ubi dicitur essentiā actu nō distingui à sua existētia; igitur si essentia produceret suam existentiā, produceret seipsā, sed nihil causa sui esse potest; Accedit, quod actio causæ ad effectum actu, seu existentiam effectus terminatur; igitur effectus non potest recipere essentiam à causa, nisi existentiam quoque recipiat. Decima septima

ita se habet; *Potest aliquid substantiale natura sua incorruptibile atque independens à materia, educi*: nihil substantiale, præter formam ex potentia materiæ educitur, eamque materialem, juxtà ea, quę tradidi tract. 5. physic. lib. 1. prop. 35. & lib. 7. Metaph. prop. 13. nihil enim aliud est eductio, nisi transitus à potentia formæ, ad actum, seu ab esse potentia, ad esse actu, prout ibidem: omnis autem forma corporea est corruptibilis, per prop. 97. d. lib. 1. forma quippè dat esse corruptibile per prop. 64. in mea hypothesi nihil clarius; immò repugnat, aliquid educi, & nou educi ex potentia materiæ: igitur repugnat educi, & esse independens à materia.

IV. Decima octava his constat, *Elementa non componuntur ex materia & forma, sed ex Atomis*: en tibi contradictoriam, d. lib. 1. prop. 76. *elementum*

mentum purum habet tantùm unam formam: item 78. *elementum impurum habet tautùm unam formam ut plurimum.* item 79. *elementum impurum aliquando habet duplicem formam*; item lib. 2. prop. 19. *elementum est compositum*, nimirùm ex materia & forma; item prop. 29. *formae elementi est substantialis.* item 30. *forma elementorum non sunt in mixtis refracta*, igitur elementum componitur ex materia & forma, tanquam ex partibus essentialibus, ut ex minimis homogeneis, tanquàm ex partibus integrantibus: Unde vigesima talis est. *Mixta corpora, excepto homine, non habent propriam formam substantialem, sed pro varia Atomorum mixtura & dispositione, illas species exhibent, quas videmus, auri, marmoris* &c. huic etiam contrariã accipe d. lib. 1. prop. 77. *Mixta ut plurimùm unam habent formam.* Item

prop.80. *Mixtum aliquando multas formas habet*: item prop. 81. *In corpore Animalis sunt multæ formæ partiales.* Item 129. *Omne corpus est compositum* nimirùm ex materia & forma; Item 129. *Omne corpus naturale ex præmissis principiis est*; nimirùm ex materia & forma. Item tract. 6. lib.1. prop.20. 21.22.23.&c. & hoc præcipuum est fundamentum, cui mea Hypothesis innititur; ideò corpus esse corruptibile, quia constat ex materia & forma: implicat enim, materiam inesse, nisi simul insit potentia ad aliud esse: id est, ad aliam formam; ac proindè conjuncta cum tali, vel tali esse: id est tali vel tali forma, quæ non tantùm exteriores illas species exhibet, sed est principium formale omnium proprietatum mixti, & maximè internarum. Vigesima ita jacet; *possunt duæ formæ ultimæ, & non sub-*

ſubordinatæ eſſe naturaliter in eadem materia: admitto quidem formas partiales; puta carnis, oſſis &c. ſed hæ ſunt ſubordinatæ formæ viventi, nec ſunt ultimæ; cum iis anima, ſeu forma vivens adveniat. In mixto perfecto homogeneo, unam tantùm formam admitto, per prop. 20. lib. 1. tract. 6. quod ſi dicamus in candenti ferro eſſe ignem actu, ac proindè formam ignis; nemo neſcit, formam elementi non eſſe ultimam ſed omninò ſubordinatam formæ mixti.

V. Vigeſima prima ita ſonat. *Valdè difficulter poteſt ratione probari ſententia contraria ſententiæ Durandi, quod Deus immediatè concurrat ad omnes effectus cauſarum ſecundarum: neque Loca ſcripturæ hoc convincunt*. Oppoſitum doceo d. lib. 7. Metaph. prop. 31. & 32. Item prop. 63. coroll. 6. quia ſcilicet ipſum agere creatu-

ræ, est Creatura, sive actio distinguatur à termino, sive non: pendet igitur à Deo, non per aliam actionem, ne detur processus in infinitum, igitur per seipsam, ut ibidem dictum est Coroll. 5. *immediate igitur*; quæ ratio juxta mea principia, demonstrationis loco mihi est. Vigesima secunda talis est, *Accidens naturaliter mutat subjectum inhæsionis*, centies Axioma illud tritum & commune usurpavi, *accidens non potest migrare de subjecto in subjectum.* fundatum in prop. 31. lib. 5. Metaph. unio quippè accidentis supponit alligationem quandam cum subjecto, cujus vi, ex motu subjecti, sequatur motus accidentis uniti cum subjecto: immò accidens in subjecto movetur tantùm ad motum subjecti: unde migrare non potest in aliud subjectum; hæc quippè

pè migratio ſine motu locali concipi non poteſt.

VI. Vigeſima ſecunda talis eſt. *Dubium eſt, An quantitas diſtinguatur à materia; Item an identificentur formis ſubſtantialibus quantitas & impenetrabilitas*: ab his longiſſimè abſum; quia per me, materia prima eſt pura potentia, ſcilicet prop. 20. lib. 1. tract. 5. phyſic. quæ nec eſt quid, nec quantum, ut ait Philoſophus; ſed quantitas non eſt pura potentia: Diſtinguitur ergo à materia; licèt fortè interna non diſtinguatur à ſubſtantia corporis, ut fusè docui tract. 1. lib. 1. prop. 14. quod autem quantitas, ſive interna, ſive externa, diſtinguatur à forma ſubſtantiali, ſuppoſui ſemper, & docui, & nihil plus adverſatur meæ hypotheſi; nec enim admitto vagam illam corporis, ſeu corporeitatis, ut vocant, formam;

ſatis quippè eſt ſubſtratum illud commune, in quo tota generationum & corruptionum ſcena, tanquam in Theatro, peragitur; & de quo ſæpiùs in phyſica mentionem feci, ex ipſo Ariſtotele; & cujus ratione, quantitas & impenetrabilitas ſingulis corporibus competunt. Succedit vigeſima quarta. *Quantitas identificatur realiter cùm ubi, quo ſubſtantia materialis conſtituitur in loco impenetrabiliter.* In motu mutatur *ubi*, non verò quantitas, nec impenetrabilitas, nec extenſio; quod verò pertinet ad quantitatem internam, ab *ubi* diſtingui, neceſſe eſt; illa enim à ſubſtantia corporis realiter non diſtinguitur, prout in d. prop. 14. à qua tamen *ubi* diſtinguitur, per prop. 20. lib. 8. Metaph.

VII. Vigeſima quinta eſt hæc; *Continuum ſucceſſivum & intenſio qualitatum ſolis indiviſibilibus conſtant;* indi-

indivisibilibus, inquam, omninò, nimirùm tum actu, tum potentia: sic enim aliqui componunt tempus ex instantibus Mathematicis, uti & motum, quod tamen passim negavi, cum Aristotele, tum in Physica, tum in Metaph. lib. 9. prop. 12. Coroll. 25. Idem dico de intensione qualitatum; nulla enim agnosco indivisibilia, seu puncta Mathematica, nisi terminantia & copulativa, quæ sunt meræ negationes, licèt admittam minima physica, divisibilia potentia in infinitum; itemque instantia physica, id est, actiones, per quas res primò producuntur & conservantur, quarum duratio est quidem indivisibilis actu, sed divisibilis potentia, idque in infinitum, immò repugnat, dari punctum Mathematicum positivum, per prop. 6. lib. 10. nec continuum ex hujusmodi punctis constat per prop. 19.

Succedit vigesima sexta, quæ his verbis concipitur. *Dantur Puncta inflata, ex quibus continuum componitur* ibidem etiam utraque dicitur esse contra Aristotelem; ac proindè hoc dumtaxat nomine prohibita: in hoc argumento semper denunciavi palàm, me ad literam adhærere Aristoteli; illudque luculenter evici, lib.10. Metaph. per totum; nempè illius doctrina in hac materia his quasi effatis continetur: nimirùm, quantitatem ex indivisibilibus, seu punctis Mathematicis non constare: inesse tamen illi puncta terminantia & copulativa; in continuo esse quidem infinita dimidia, non actu, sed potestate: idem esse divisibile & indivisibile, absurdum non videri: potentia siquidem divisibile, actu verò indivisibile: non dari denique infinitum actu, creatum scilicet, sed potentia: cum

cum autem cuncta hæc admittam, & ex iis tantùm deducam, quæ necessariò consequuntur, explodamque puncta illa inflata, tumida, turgida, male cocta, & cruda, ac proindè nauseam docto stomacho conciliantia, insipida, acerba, his enim elogiis P. Ariaga illa condecorat, d. prohibitio ad me non spectat, meam autem hypothesim de extensione fusè tradidi lib. 10. Metaphys. per tot. sed potissimùm in digressione, subnexa prop. 27. in qua puncta illa inflata explosi: in eo porrò libro, uti subindicavi tract. 1. Physic. lib. 1. propos. 40. & alibi, demonstravi, nisi valdè fallor, 1. hanc legitimam Aristotelis mentem esse; 2. fore ut continuum constaret ex indivisibilibus Mathematicis infinitis actu, si esset divisibile actu in infinitum: id est, si constaret ex infinitis actu. 3. in communi Schola-

stico-

ſticorum ſententia, ab omnibus, qui rem non diſſimulant, hìc agnoſci difficultates inſuperabiles. 4. Sententiam illam philoſophicam, quæ laborat difficultatibus inſuperabilibus, prudenter abiiciendam eſſe: 5. Indè melius Analogiam ſtatui, res inter corporeas & incorporeas. 6. cum minimè repugnet, rem à Deo ita fieri potuiſſe, quod nemo negat, & hoc modo res facilè omninò explicentur, & ex diſertis locis conſtet, hanc germanam Ariſtotelis mentem eſſe, ac demùm nullum indè penitùs abſurdum conſequatur, ſed omnia, quæ opponuntur, nullo negotio diſiiciantur, quis, amabò, prudenter huic ſententiæ non adhæreat? 7. Literalem ſenſum Ariſtotelis aliter vix intelligi poſſe, proprium ſcilicet, atque nativum, qui reverà ab iis uſurpandus eſt, qui Ariſtotelis men-

mentem explorant: præſumere quippè debemus, ita loquutum fuiſſe, ut mentem ſuam aperiret. 8. Denique diſtinguendum eſſe corpus phyſicum à Mathematico: hoc quippè nihil eſt aliud, quàm mera extenſio trinedimenſa, eaque abſtracta à quavis materia, quam etiam vel in ipſo inani, rectè concipere poſſumus, & qualibet data minorem & majorem ſupponere, vel excogitare, & ad cujus compoſitionem minimè attendimus: cum etiam multa in ea conſideremus, quæ phyſicè ſtare, ſeu dari non poſſunt: puta ſuperficies, lineas, & puncta, nimirùm Mathematica: ex horum motu, triplex extenſionis genus gigni volumus, ſecus tamen de corpore phyſico ratiocinandum: quod certè nec ex iis gigni, nec in ea reſolvi poſſe dicimus.

VIII. Vi-

VIII. Vigesima septima ita se habet. *Vnum & idem punctum formaliter & virtualiter indivisibile, ratione velocitatis motus, potest esse in pluribus partibus spatii, uno & eodem momento, & sic ratione intensissimæ velocitatis, occupare simul totum spatium, quod intercedit inter Romam & Neapolim.* Equidem per miraculum fieri posse diximus, ut res eadem creata simul sit in duobus adæquatis locis, per prop. 21. lib. 8. Metaph. nullus tamen sanæ mentis dixerit, naturaliter id fieri posse. Fateor quidẽ, si detur punctum Mathematicum fieri non posse, ut tardiùs, aut velociùs moveatur, cum singulis instantibus motus acquirere tantùm possit, seu decurrere singula puncta spatii, nihil plus, nec minùs; si enim plus: igitur eodem instanti, esset in loco majori se: si minus, ergo datur aliquid minus puncto: utrum-

Utrumque absurdum est; propterea ex Physica, puncta illa Mathematica proscribimus, cum quibus motus, in quo ferè tota res physica posita est, stare nequit: quod verò pertinet ad velocitatem motus, eam explicui fusè, tum in Metaph. lib. 12. ac præsertim singulari dissertatione, de velocitate, subnexa, prop. 24. tum alibi multis locis.

IX. Vigesima octava talis est. *Potest dari creatura infinita in omni genere, excepta independentia, quæ unica restaret Deo propria: potest etiam dari intellectus infinitus*, creatus scilicet, *voluntas infinitè perfecta & consequenter indefectibilis*: ego certè omne infinitum, in quolibet genere, reiicio, ut patet ex iis, quæ disserui lib. 11. Metaph. per totum, ac præsertim prop. 16. in quam multas demonstrationes, in hanc rem, congessi; si autem repugnat infinitum actu,

crea-

creatum scilicet in quolibet genere, potiori jure, repugnat infinitum in omni genere. Succedit vigesima nona in hunc modum. *Possibilis est creatura perfectissima, qua perfectior creari à Deo non possit: item imperfectissima, quâ nulla à Deo imperfectior possit creari.* Prima pars repugnat expressè prop. 14. lib. 11. Metaph. *Impossibilis est Creatura omnium perfectissima:* altera verò prop. 17. n. 7. *Data qualibet creatura potest dari perfectior & imperfectior.* Sequitur Trigesima, quæ est hæc: *Infinitum in multitudine & magnitudine potest claudi inter duas unitates, vel duo puncta:* omne infiniti genus d. loco rejeci, prop. 16. 8. 9. 10. &c. Trigesima prima ejusdem generis est: *Potest assignari dies aliquis, in æternitate, ultra quem nullus alius futurus est: sicut si mundus fuisset ab æterno, posset assignari primus dies, ante quem nullus alius fuisset.* Huic repu-

repugnant prop.12. & 16. coroll. 5. æternitas creata, à parte ante, ut vocant, per me, repugnat; æternitas à parte post dicit tantùm infinitum potentia. Trigesima secunda ejusdem est conditionis: ***Datur numerus maximus finitus, supra quem Deus nihil potest addere.*** Non potest dari numerus maximus per prop. 8. & esse maximum & ultimum, seu finitum, sunt termini incompossibiles, per Coroll. prop. 7. & 6. Trigesima tertia talis est: ***In continuo, intercipiuntur vacua parva, pauciora, vel plura, majora, vel minora, pro raritate & densitate ejusdem.*** Vacuum abhorreo, cum ipsa natura, ut constat ex iis, quæ tota philosophia passim tradidi, ac præsertim Append. 1. Metaph. Raritatē autem ac densitatem longè aliter explico, cum Aristotele, ut memini jam dixisse in duabus prioribus Epistolis. Trigesima quar-

ta

ta his verbis conſtat; *Res etiam materialis poteſt abſolvi ab omni reſpectu, ſive loci, ſive temporis, & formaliter, & fundamentaliter.* Quidquid eſt, alicubi eſt, per prop. 11. lib. 8. Metaph. & quidquid eſt, aliquando eſt, per prop. 9. lib. 9. utrumque luculenter ibidem oſtendi.

X. Trigeſima quinta talis eſt. *Terra movetur motu diurno; Planetæ tanquam viventia, moventur ab intrinſeco: firmamentum ſtat.* Terræ motum acriter impugnavi, tum tract. 8. Phyſic. tum in Dialog. Phyſ. part. 1. In d. etiam tract. lib. 1. prop. 19. negavi, Planetas vivere: ac proindè tanquam viventia moveri, idem de ſtellis docui, lib. 2. prop. 28. negavi etiam firmamentum ſtare, lib. 3. prop. 66. ſed de his præſertim actum eſt, in digreſſ. Aſtronom. annexa d. lib. 3. Trigeſima ſexta ſic habet, *Motus Cælorum eſt omninò ab intrinſeco,*

&

& nullo modo ab intelligentiis; De cœlo nullibi dixi, quod moveatur, de globis cælestibus, dixi, lib. 3. prop. 8. quod ab intrinseco moveatur; activè & ab extrinseco directivè, nimirùm ab intelligentiis; igitur aliquo modo ab intelligentiis: quod certè opponitur prædictæ clausulæ, *& nullo modo ab intelligentiis.*

XI. Trigesima septima. *Elementa non transmutantur invicem, sed unius particulæ in alio delitescunt incorruptæ, quarum ingressus rarefactionis & condensationis est ratio.* Trigesima octava. *Probabilius dicitur fieri generatio, per novam conjunctionem corpusculorum etiam secundùm mentem Aristotelis.* Utramque conjunxi, quia utraque generationem, è medio tollit, quam tamen adstruo, tract. 5. Phys. lib. 1. def. 1. prop. 1. ajoque esse mutationem substantialem, prop. 2. & unum converti in aliud; per prop.

20. 23.

20.23.24.25. lib. 2. & verò quando ignis convertitur in aera, aut vicissim halitus aereus in ignem, est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, ut subjecto eodem; vera igitur est generatio, per defin. 1. lib. 1. Purum quidem in purum, immediatè converti nequit: nec de puris elementis unquam locutus est Philosophus, sed de impuris, qualia scilicet re ipsa sunt: undè purum in impurum converti potest & vicissim hoc in illud, per prop. 23. & quodlibet, impurum scilicet, in quodlibet, per prop. 24. quamquam facilius symbola in symbola: in hoc certè totus sum Aristotelicus; quod autem de rarefactione & condensatione dicitur, iis omninò repugnat, quæ tradidi juxta mentem Philosophi tract. 1. lib. 3. per tot.

XII. *Duæ sunt tantùm qualitates primæ, calor & frigus: humor verò & sicci-*

ſiccitas non ſunt qualitates. Hæc eſt trigeſima nona; quæ verò ſequitur quadrageſima, *plures ſunt primæ qualitates ſenſibiles elementorum quàm quatuor.* Utramque jugulat prop.7. lib.2. tract.5. Phyſ. quæ ſic habet, *ex quatuor primis qualitatibus quaternarius elementorum numerus evincitur*: eſſe autem quatuor ejusmodi qualitates, conſtare dico ex dictis inſuperioribus tractatibus: humiditatem autem & ſiccitatem eſſe qualitates, diſertè doceo, tract.2. lib.4. prop.16. & eſſe qualitates primas, tradidi prop.18. item poſitivas, prop.21. & oppoſitas inter ſe, ſeu contrarias, prop.23.

Quadrageſima prima ſic habet; *Gravitas & Levitas non differunt ſpecie, ſed tantum ſecundum magis & minus.* Ego tamen aliquod grave agnoſco, quod nihil habet levitatis; & aliquod leve, quod nihil gravi-

tatis, differunt igitur ſpecie; immò licèt levitas meram diceret negationem gravitatis, differret ſpecie, & genere à gravitate; negatio quippè differt genere à forma cujus eſt negatio; Deindè cum juxta Philoſophum, gravitas & levitas ſint denſitates & raritates quædam; eodem prorſùs modo differt gravitas à levitate, quo denſitas à raritate; ſed de levi & gravi multa ſcripſi, tum lib. 4. tract. 1. in quo de hoc tantùm argumento diſſerui, tum in Dialogis phyſicis; mihi certè videor omnia demonſtraſſe.

XIII. Quadrageſima ſecunda hæc eſt. *Anima vegetativa poterit aliqua nutrire & augere ex nihilo*; nihil unquam ineptiùs; quomodò nutriantur plantæ, non ex nihilo, ſed ex ſucco alimentitio, fusè tradidi, tract. 9. lib. 2. per totum; quomodo verò animalia, tract. 2. lib. 1. ubi de

de Chilo, ejusque traductione, sanguinis circuitione &c.

Quadragesima tertia æquè inepta est; *Potest anima existens in uno loco, vivificare corpus existens actu in loco alio.* sed anima ut vivificet, animet, informet corpus, debet esse illi unita, uniri autem corpori nequit, nisi sit corpori præsens, ut tradidi tract. 10. lib. 7. prop. 51.

Quadragesima quarta est æquè absurda: *Dantur in Homine simul & permanenter tres Animæ inter se distinctæ*: Doceo contrarium, tract. 9. lib. 5. prop. 49. ubi enim incipit forma sensitiva, desinit vegetativa: Licèt remaneant potentiæ vegetativæ: item tract. 10. lib. 7. prop. 3. in qua dico, in quolibet homine unam tantum esse animam, rationalem scilicet, & per prop. 50. in qua dico, eo ipso momento, quo anima infunditur, cessare priorem ani-

mam & remanere, seu fieri potentiam.

Item quadragesima quinta, quæ talis est, *Vita intellectualis creata nullo modo requirit actionem ullam physicam atque ita intellectus non agit*: sed cognoscere est verè agere per prop. 10. d. lib. 7. & principium ratiocinii, est verè activum, per prop. 19. & 22. & omnis cognitio est actio inorganica, per prop. 44.

Succedit quadragesima sexta; quæ sic habet; *Bruta circa objecta particularia discurrunt, vero, & propriè dicto discursu*; Bruta habent tantùm actiones organicas, sed principium ratiocinii distinguitur à sensu id est, à principio organico, per prop. 21. 17. igitur non discurrunt propriè.

XIV. Quadragesima septima his verbis constat. *Nulla datur in sensibus externis species intentionalis, sed*

ſed ejus loco v. g. datur in oculo extramiſſio radiorum viſualium, admitto ultro ſpecies illas Ariſtotelicas, oculo ab objecto illapſas, quas vocat formas ſine materia, de quibus tract.2.lib.2. prop.12.14.60.61. & lib.3. quaſi per totum; & fictitiam ſemper reputavi prædictam illam radiorum extramiſſionem, ut vocant:

Quadrageſima octava talis eſt. *Nullæ dantur ſpecies impreſſæ, ne intelligibiles quidem.* Admitto ſpecies impreſſas, nimirùm formas ſine materia in ſenſibus externis, phantaſmata ſpecierum intelligibilium loco ſunt, pro ſtatu unionis; nec anima in hoc ſtatu, aliis indiget, per prop. 55. in ſtatu verò ſeparationis, alias ſpecies habet.

Quadrageſima nona ita ſe habet. *Immortalitas animæ non ſatis colligitur ex operationibus intellectus.* Ego ta-

men ex ratiocinio, quod ad intellectum pertinet, deduxi animæ immortalitatem, lib. 7. ferè per totum; Immo cum ipsum cognoscere non sit corporis, per prop. 21. lib. 2. ex qualibet cognitione deduci potest animæ immortalitas: in mea Hypothesi, res ista immortalitatis animæ satis facilè & luculenter explicatur.

XV. Quinquagesima sic exprimitur. *Probabilius est, non repugnare potentiam materialem cognoscitivam rei spiritualis*; Huic jungo quinquagesimam primam, *Potest esse substantia materialis, quæ & virtute cognoscendi, & loco se movendi, & quia sit essentialiter completa, adæquet; immo excedat animam rationalem.* Sed sentire non est cognoscere, per prop. 21. lib. 2. tract. 10. nec cognoscere, corporis est, ut centies docui, & sæpè dixi in prioribus literis; igitur multo

minus cognoſcere rem ſpiritualem; & omnis cognitio eſt actio inorganica; per prop. 44. lib. 7. & principium inorganicum eſt anima, per prop. 45. ac proindè anima non eſt corpus, per prop. 46. & ſenſus eſt tantùm circa affectionem organo impreſſam; per prop. 12. lib. 2. deindè juxta meam hypotheſim omnis ſubſtantia materialis completa eſt corpus, & omne corpus eſt compoſitum, per prop. 105. lib. 1. tract. 5. quis autem dicat corpus eſſe nobilius & perfectius Anima?

XVI. Quinquageſima ſecunda eſt hæc. *Poſſibilis eſt creatura, quæ habeat actum intellectus identificatum, item poſſibilis creatura, quæ ſit ſpecies impreſſa rerum omnium poſſibilium*: Sed actus intellectus, ſeu cognitio eſt actio ab ipſo cognoſcente diſtincta nimirùm in creatis, per prop. 10. lib. 10. puderet autem, alterum illud

commentum docuisse, de creatura possibili, quæ sit species impressa rerum omnium possibilium; quisquis enim hoc dicit, nescit profectò quid dicat, sed multorum est, vocibus abuti & ludere.

Succedit quinquagesima tertia æquè absurda. *Possibilis est anima spiritualis non intellectiva*: quid ergo erit? Volitiva, inquies; nugæ! idem est principium intelligendi & volendi; & hæc per prop. 38. 39. 40. & 54. lib. 7.

Adde quinquagesimam quartam, quam nemo non dicat intolerabilem. *Substantia materialis potest esse causa adæquata principalis alicujus substantiæ spiritualis*. Hæc in mentem sanam non cadit: non possumus explicare quomodo substantia Materialis producatur à substantia Materiali, nisi per generationem: quæ certè in substantiam spiritualem non cadit. Quin-

Quinquagesima quinta sic exprimitur, *Etiamsi non esset in Deo libertas formalis, posset adhuc talis perfectio communicata reperiri in creaturis.* Hæc omninò est à subjecto suppositio: implicat n. Deum non esse formaliter liberum: cum libertas sit perfectio simpliciter simplex: igitur si liber non est, Deus non est: & si Deus non est, creatura non est. Deindè si est perfectio communicata eaque simpliciter simplex, in Deo igitur est: absit ergo, ut hujusmodi plusquam aniles nugas unquam admittam.

XVII. Quinquagesima sexta hæc est. *Causa passiva verè influens & producens formam, potest esse libera, etiamsi non influat efficienter;* si verus influxus productivus est, quomodo efficiens non est? Utut sit, causam liberam indifferentia activa constituit, non passiva, nec objectiva per

prop.67. lib.7. tract.10. item per prop.35.

Succedit quinquagesima septima. *Possibilis est potentia, quæ quamvis sit naturaliter incapax operandi liberè, divinitus tamen elevata, liberè operetur.* Hæc etiam absurda est: cum enim potentia libera sit sui determinativa, si aliqua potentia est incapax operandi liberè, igitur non est sui determinativa, igitur quacumque elevatione posita libera non est, quia determinatur ab extrinseco: Munus enim formalis constitutivi suppleri non potest:

Sequitur quinquagesima octava, *Non apparet sufficiens repugnantia in eo, quod possibilis sit intellectus, qui in objectis obscurè propositis, possit independenter ab actu voluntatis, se determinare ad assensum, vel ad dissensum, & consequenter qui sit liber*: Nihil unquam absurdius dici, vel excogitari potuit;

ſt: implicat enim potentiam eſſe ſui determinativam, quæ non ſit voluntas, nihil enim aliud eſt ſe determinare ad aſſenſum, quam velle aſſentiri.

Quinquageſima nona ſic ſe habet: *Naturaliter poteſt voluntas amare aliquod objectum, nulla prævia cognitione in intellectu.* Non niſi temerè & ineptè celebre illud effatum phyſicum negari poteſt, *Voluntas non fertur in incognitum.* Adde prop. 66. d. lib. 7.

XVIII. Hæc eſt ſexageſima. *Voluptas & dolor conſiſtunt formaliter in cognitione objecti*: Animal brutum ſentit voluptatem atque dolorem, non eſt tamen agens cognoſcitivum: De voluptate ac delectatione à me actum eſt lib. 5. prop. 41. de dolore & triſtitia. prop. 43. idq; ſatis fusè & accuratè, ex quibus d. propoſitionis futilitas evincitur.

Sexagesima prima talis est: *Substantia spiritualis potest habere partes intensionis: potest item de potentia absoluta esse aliqua, quæ habeat partes integrantes, nec ex fide potest persuaderi, animam talem non esse.* Quot ferè verba tot falsitatum & ineptiarum monstra; quis enim animo capere possit, substantiam spiritualem intendi & componi ex partibus integrantibus? sed pudet, in his hærere.

Alia quæ sequitur, nimirum sexagesima secunda deformior est: *Potest forma substantialis, etiam spiritualis, esse corruptibilis.* Hæc impia est, & plusquam erronea.

Alia verò scilicet sexagesima tertia, non erronea quidem sed absurdissima, *Manu tangi potest ens possibile etiam sub statu possibilitatis:* Vix risum teneo; tango id, quod non existit; quis hoc non rideat?

Sex-

Sexagesima quarta his verbis exprimitur, *Potest dari actio in distans, virtute naturali*;

His verò sexegesima quinta, quæ est ultima; *Possunt fieri curationes vulnerum, vel morborum per medicamenta applicata in distantia, seu per unguentum, quod vocatur armarium*: Utramque refutavi lib. 7. Metaph. prop. 39. ultimam præsertim n. 4.

XIX. Ex dictis huc usque, facilè vides, doctissime Pardesi, quàm longè absim ab opinionibus, per Decreta nostra & leges prohibitis; ex iis multas apud Patrem Ariagam haud dubiè legisti; quamquam longè plures accenseri potuissent, quas æquè improbabiles reputo: Utut sit, nullam ex iis teneo, nullam defendo, & doctrinam iis oppositam, in multis voluminibus, quorum brevissimum Elenchum in primis literis habes

deſcriptum, tradidi; & ſi non demonſtravi, demonſtrare ſaltem conatus ſum: non eſt igitur, quod aliqui ex noſtris timeant, ne mea Hypotheſis Philoſophica prædictis Decretis adverſetur, quaſi præmiſſis opinionibus ſuffragetur: Cum ne unam quidem ex iis ſuo calculo donet: & omnes ferè, ut falſas & futiles averſetur: multæ illarum ſunt ſunt de poſſibili, v. g. An talis ſubſtantia ſit poſſibilis, quæ ſit ſpiritualis & corruptibilis: quæ volitiva ſit non intellectiva, vel contra, quæ libera ſit & non activa: quæ ſit ſpiritualis ac proindè ſimplex, & partibus conſtet: quæ intelligat ſine ullo actu: quæ determinetur ab extrinſeco, & ſit libera: In his certè aliiſque hujusmodi, numquam tempus terendum eſſe, duxi, præſertim cum innu-

innumera ferè sint alia, Metaphysica, Logica, Physica, Moralia, Geometrica, in quibus longè utilius poni potuit.

XX. Itaque, ut jam constat, ex iis, quæ supra dicta sunt, me procul abesse ab opinionibus in Societate prohibitis; & ex iis, quæ in duabus prioribus scripsi, me alienum esse à Cartesio, Gassendo, Hobesio, Galileo, Boyleo, aliisque Democriticis; ita restaret, ut ostenderem, me Aristotelis partes sequutum, sed ne jam actum agam, ad prolixam illam præfationem, quam primo Physicæ tractatu præfixam habes, te remittendum esse, duco; fateor ultrò, me ab Arabum sensu, qui suis Commentariis Aristotelis Textum explanare conati sunt, non parùm discrepare; sed cum inter

Aristotelis interpretes, seu Commentatores, tot penè sint dissidiorum capita, quot verba in ejus Textu leguntur; & cum nulla prorsùs ratio me cogat, his potiùs, quàm illis suffragari; nec omnibus suffragari valeam, cum inter se pugnantia illi adstruant; nihil certè prudentiùs, me facturum esse duxi: in tanta præsertim ipsius Textus obscuritate ac perturbatione, & cum multa in eo manca, aut superflua esse, constet, quam si nativum, naturalem, proprium, literalem, & vulgarem vebörum sensum amplexus, universam meam Hypothesim Philosophicam principiis Aristotelicis, in prædicto sensu acceptis, inniti curarem; quod reverà factum à me esse contendo, nec ullus huc usque refragatus est.

XXI.

XXI. De quatuor illis Elementis, Igne ſcilicet, Aere, Aqua & Terra: De tribus principiis corporis naturalis, materia prima, forma, & privatione, de generatione & corruptione, de mixtione & mixtis: de Plantis & Animalibus, eadem prorſùs ſtatui, quæ Ariſtoteles; Item de vacuo, Infinito actu & potentia, de continui compoſitione, diviſibilis in infinitum non quidem actu, ſed potentia: De denſitate & raritate: De quatuor Primis qualitatibus: De coloribus, ſonis, aliisque ſenſibilibus corporum ſtatibus: de illo communi ſubſtrato, ut vocat, cujus tamen ultimam Analyſim; nimirùm in ſua minima, Philoſophus non inſtituit, cum ad Phyſicam non pertineret, quæ tantùm res ſenſibiles, id eſt, eſſe corporis ſen-

ſenſibile conſiderat: item de ſpeciebus illis ſenſibilibus, quas formas ſine materia vocat, de Phantasmatis, de intellectu ſpeculante phantasmata: In his aliisque ferè omnibus, totus ſum Ariſtotelicus, & ſto Literæ illius Textus: Lego apud illum, materiam primam eſſe puram potentiam, ac proindè non eſſe quid, nec quantum &c. nec eſſe poſſe ſine forma, ſubſtantiali ſcilicet & materiali, de qua hìc tantùm loquor, nec viciſſim formam ſine materia, & hanc in generatione partim deſinere partim incipere; formam verò non produci, non fieri, non generari, eamque dici ſpeciem, rationem, λόγον, eſſe indiviſibilem, non diſtingui unam ab alia numero, ſed ſpecie: formas eſſe ut numeros, ac proindè eſſe
quid

quid relativum, non quidem per intellectum, ut nugantur aliqui, qui volunt, relationem esse quidpiam rationis, quòd vel absurdum dictu est, immò impium, ob divinas relationes sed re ipsa; item generationem corporis naturalis esse meram mutationem totius in totum, nullo sensibili remanente, ut subjecto eodem; Lego, inquam, hæc omnia, de quibus fusè à me actum est in Physica & Metaphysica, accipio ad literam, sto Literæ Textus; multi sequuti Arabas aliter accipiunt, sat scio; sed unus sic, alius sic, cum enim sensus improprii sint ferè innumeri, quid mirum, si hic unum, ille alium amplectatur, undè perpetuæ Scholarum Altercationes, dum quisque suum defendit: cum tamen unus tantùm sit proprius, ac

proindè nullus restet de illo Altercationibus locus.

XXII. Accedit, quod, dum nativo & proprio sensui adhæreo, immò & ipsissima Stagyritæ verba usurpo, omnia facilè intelliguntur, difficultates omnes complanantur, tenebræ illæ plusquam Cimmeriæ discutiuntur; nemo quippe inficias eat, insuperabiles occurrere difficultates, si juxta Arabum Commenta & sensum explicare velimus compositionem continui, motum, tempus, spatium, causas, materiam formam, generationem, unionem, qualitates omnes, species intelligibiles, aliaque ferè innumera, quæ tamen juxta proprium sensum verborum Philosophi, nullam habent difficultatem: quod ad me spectat, lucem amo, tenebras, quantùm possum, fugio, & vias difficiles:

ita

ita enim à natura comparatus ſum : erunt fortè, qui mediocri, vel adhuc minori, quod in me ſentio, ingenio id tribuant, per me licet, fateor ultro; ſummæ illæ difficultates, ac denſæ tenebræ, prærupta viarum, & indiſſolubiles nodi me terrent; nec eſt, quod opponat aliquis, virtutem in arduis probari; ita eſt, pro re morali, ita ſentio, ſecus tamen pro literaria, quam ſi facili modo explicare valeam nimirùm absque abſurdo, & citra ineptiam, fretus ſcilicet auctoritate Philoſophi, accepti ad literam, nemo ſanè vitio mihi vertat, quod facilem hanc viam inierim, in qua tantam rerum ſylvam accumulavi, eamque ex principiis Ariſtotelicis, in proprio ſenſu intellectis, legitimo ratiocinio uſus, deduxi.

XXIII. Unum addo, quod mihi

mihi non levis momenti esse videtur; nimirùm rem Theologicam juxta meam Hypothesim Philosophicam longè faciliùs & nitidiùs explicari; cujus rei leve saltem specimen in Summula exhibui; longè majus daturus, in Theologia Apodictica, quam si superis placet, editurus sum; undè aliquando accidit, dum quidam Baccalaureus dictam meam Hypothesim in Sorbona doceret, ut eam multi Christianam Philosophiam appellarent, quod certè mihi, ne quid dissimulem, gratissimum accidit; fælicem quippè me ipsum reputarem, si de meo penu, in Religionis rem, vel tantulùm conferre valerem. Ad id demùm, quod rogas, ut omnia mea, tum jam edita, tum edenda, in majores Tomos edi curem, sincerè dicam, hoc consilium à me satis proba-

probari, illudque non ſemel optimus P. N. Generalis mihi ſignificavit; Philoſophica, ubi acceſſerit Analyſis Morum & Tomus de Motu Locali cum Dialogis Phyſicis, ſex Tomi, ut vocant, in folio vix capient, multos etiam Theologica, Moralia, Polemica, Mathematica occupabunt: ſed omnia ſuo tempore longè commodiùs exequar. Cæterùm hujus etiam epiſtolæ aliis copiam facies, ac præſertim iis, quibus eam de me opinionem ineſſe, videris, quod ſcilicet mea Philoſophia Decretis Societatis non conſentiat; Vale, ſcribebam Romæ XVII. Kalendas Februarii Anno 1673.

F I N I S.

[illegible]

[illegible]

[illegible]